K14

M44

FRANCISCI MARIANI
VITERBIENSIS
VATICAN.

Baſilicæ Benefic., & Bibliothecæ
Scriptoris Græci

DE

ETRURIA
METROPOLI,

QVÆ

TURRHENIA, TURSENIA, TUSCANIA,

Atque etiam

BETERBON DICTA EST,

IN VARIOS AUCTORES CASTIGATIONES.

Additur de Epiſcopis Viterbienſibus Parergon.

ROMÆ MDCCXXVIII. Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/franciscimariani00mari

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOSEPHO ARCHIEPISCOPO

ACCORAMBONO

EPISCOPO, ET COMITI IMOLENSI,

ET SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIII

AUDITORI.

CUm eruditum ſuum Opus de Antiqua Etruria meis Typis edendum curaverit V. Cl. Franciſcus Marianus; integrumque mihi reliquerit, ut Patronum deligerem, ex cujus meritis Operi decus magis augeretur; in Te

unum mea ſtatim conſilia conjeci, ea quidem mente ad hoc inductus, ut meam, qua Te colo, teſtatam facerem obſervantiam, meumque in Te cultum, obſequiumque patefacerem, ſimulque meis ita rationibus præclare conſulerem. Subverebar equidem, ne fortaſſe nimis audax judicarer, quod nullo ſubnixus merito me conſequi poſſe, quod votis animo blandientibus mihi pollicebar, remota omni difficultate ſperarem. Hujus eximii Operis Auctor, cui hoc meum aperui conſilium, omnem dubitationem diſcuſſit, & ſubtimidum in ſuſcepto conſilio, confirmavit, plurimum gaviſus, ubi audiit, tantum honoris ex Te Illme, ac Rme Præſul Operi ſuo acceſſurum, ſincera, effuſaque commendatione laudavit, quæ cogitaveram: me nihil potuiſſe cogitare, quod ſuis votis magis placeret, ſuumque Opus dignius illuſtraret, arbitratur: Cum non obſcure habeat perſpecta, quibus excellis ornamenta,

ex iis multam ſibi quoque honoris, atque laudis partem obventuram promittit. Adiecit præterea ſibi tecum multam intercesſiſſe conſuetudinem, qua plurimum gloriatur, eoque magis, quod nunc quoque tuos inter familiares, & clientes humaniter illum agnoſcis, atque complecteris benevola humanitate. Nec inania plane ſibi ſpondet, nec mea pariter me fallit cogitatio eadem cum illo ſubmota omni dubitatione ſentientem: Me nihil fingere, aut comminiſci, quod manifeſta profectò veritate non probetur, ultro ii omnes plane fatebuntur, qui tuas egregias laudes, easque palam cognitas habent, atque exploratas. Quis autem, cujus ad aures, vel ſolum tuum Nomen inſonuit, illas ignorat? Eas optarem quidem percenſere; ſed ipſas dicendo perſequi ſi conarer, Provinciam aggrederer, cui ſuſtinendæ, ſecus ac res poſtulat, me imparem omnino demonſtrarem. Quas ideo tantummodo carptim,

attingam, ut hac ſaltem ratione oſtendam, quàm ſincera Te admiratione ſuſpiciam. Quanta tui Nominis gloria, quantaque doctrinæ integræque Juſtitiæ fama inter Illuſtriores, ac facundiores Romani Fori Oratores inclarueris, notius eſt, quàm ut narratione indigeat ad majorem celebritatem. Conſtantium tuorum meritorum ductu, non Potentium favore fucatis artibus quæſito ad gravia illa munera, quæ ſumma tuarum Laudum commendatione geſſiſti, patefactam Tibi viam laudes paſſim à bonis omnibus certatim in Te congeſtæ ignorari non ſinunt. Locupletiſſimi hujus veritatis Teſtes præ cæteris eſſe poſſunt Ampliſſimi Cardinales Sanctacrucius, & de Comitibus, quorum uterque Te adlegit, ut in rebus majoris momenti, gravioribuſque negociis pertractandis tuis prudentibus conſiliis uterentur: Hanc tibi demandatam ab iis provinciam ea ſuſtinuiſti tuæ undequaque ſuſpiciendæ virtutis laude,

ut

ut tuam doctrinam, juriſque ſcientiam ſumma cum prudentia,& integritate conjunctam utrique omni ex parte probaveris. Hanc præclaram de te opinionem id unum præter alia plura quàm luculentiſſime oſtendit, Cardinalem de Comitibus ad Summi Pontificatus dignitatem provectum inter ſua potiora conſilia illud non poſtremum habuiſſe, quo Te ſuum eſſe Subdatarium voluit: utque apertius præterea oſtenderet quanti tua merita, tuaſque Virtutes, quas optime cognoſcebat, æſtimaret, Præſulatu, & Canonicatu Vaticanæ Baſilicæ Te honeſtavit; Illuſtriora ſane collaturus, niſi ante diem mors invida Sanctiſſimum Pontificem præripuiſſet, & quæ de tuis meritis meditabatur obturbaſſet. Summa quæque de te ille cogitabat, quem ſibi multo adjumento in difficultatibus magis arduis expediendis fuiſſe cognoverat. Hæc porro tam eximia ſunt, ut ſola ſatis eſſe poſſent ad præclaram undequa-

que laudem Tibi comparandam. Sed ingentia tua merita in dies magis, magiſque aucta Summum Pontificem Benedictum XIII, quem Deus Eccleſiæ ſuæ proſpiciens Orbi Chriſtiano auctoritate præeſſe, Sanctitatiſque exemplis prælucere benefice voluit, permoverunt, ut, quod antea fecerat Innocentius XIII, Subdatarii munus Tibi conferret, ſuum mox Auditorem, aucta dignitate, renunciaret: Philippenſi dein Archiepiſcopatu ornatum, Auximanæ Eccleſiæ adminiſtratione commiſſa, ad illuſtriora pararet, quibus Te dignum æquo ſane judicio intellexit. Nec diu poſt indicavit quo loco apud illum eſſes, & quàm optime de Te ille ſentiret, cum, vita ſublato Cardinali Gozzadino Fori Cornelii Epiſcopo, Te quidvis aliud cogitantem in Demortui locum delegit, ut eam Eccleſiam regeres, tuaque merita illuſtrius augeres, idque præſtans, ut præclare facis, ad majora premia, quæ Te plane manent, per-

ve-

venires. Ex his, quæ inter plura, ob quæ ſupra omnem laudem cognoſceris meritò ſingulari prædicatione commendandus, prorſus liquet, hujus Operis editioni, meique in Te obſequii votis quàm feliciſſime proſpexiſſe; meumque idcirco hac in re conſilium probaturos, illudque mihi gratulaturos eos omnes perſuaſum habeo, quos non latet, quàm non paſſim obvia doctrinæ, & præſertim doctioris, penitioriſque Juriſprudentiæ cognitione inter plurimos præſtes: quanti propterea ſint apud quoſque meritorum æquos æſtimatores inſignia hæc tua ornamenta, quantaque proinde ob hæc omnia, quæ in Te ſuſpicimus egregie collecta, certatim Tibi laus tribuatur. Decus inde non vulgare, illuſtreque præſidium non Operi ſolùm, quod tuo nixum Patrocinio tutius prodit, ſed meæ quoque potiſſimum in Te obſervantiæ, tua benefica fretus humanitate, qua me, ac mea non renuis benigne complecti,

 pro

pro certo habeo non defuturum. Hac certa me ſpe oblectans, fore ut, quæ ſupplex abs Te peto, votis meis impertiaris, plura non adjiciam, ne pluribus agens de tua perinde, ac mihi ſatis cognita, non eſſet, dubitare perperam videar. Ut quod offero, humaniter (quemadmodum facere ſoles) excipias, quàm demiſſiſſime poſco. Quæ in hanc rem abs Te flagito, & ſpero, conſecutus tuo Beneficio, numquam non, donec vita ſuppererit, ingenti me cumulatum gloria gratulabor; in eo futurus totus, ut cognoſcar.

Dñis Tuæ Illmæ, & Rmæ.

Humillimus, & Obſequentiſſimus
Famulus, & Cliens
Hieronymus Mainardi.

APPROBATIONES.

FRanciſci Mariani Viterbienſis librum, cui ineſt titulus de Etruria Metropoli &c. Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. juſſu accuratè perlegi; In eo nihil ab Orthodoxa devium Fide, nihil Chriſtianis contrarium moribus deprehendi. Cumque ſingula quæque conſcripta doctè, eruditè, ingenioſè probata adinvenerim; ideò præfatum librum pro Reipublicæ litterariæ bono, & uberioris litteraturæ profectu cenſeo dignum, ut quam primum Typis evulgetur in quorum fidem hac die 17. Februarii 1728.

Carolus Leopoldus Calcagninus
Sacræ Rotæ Auditor.

FRanciſci Mariani eximiâ non vulgaris Eruditionis laude commendandum Opus: *De Metropoli Etruriæ, cum Parergo de Epiſcopis Viterbienſibus*, juſſu Reverendiſſimi P. F. Gregorii Sellari Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, expendi, expenſumque dignum judicavi, quod in lucem edatur. Illud enim expendenti nihil occurrit, quod vel Eccleſiæ legibus, Fideique Catholicæ adverſetur, vel moribus bonis obeſſe poſſit. Præterea probatum illud iri omnibus, qui non fucatam Eruditionem, atque antiqua Monumenta cognita magis, & perſpecta cupiunt, nullus dubito, cum præclari hujus operis Scriptor quam feliciſſime plura illuſtret, quæ tenebris obſita luce indigbant, quæ minus obſcure cognoſcerentur. Quamobrem non parvam ſe initurum ab Eruditis gratiam, multamque ſuo nomini, ſuiſque ſtudiis famam, & laudem Cl. Auctor ſine ulla plane dubitatione polliceri ſibi poteſt. Nec aliter de hoc Opere, deque illius Auctore judicaturos arbitror, qui hujuſmodi ſtudia ſeriò excolunt, quibuſque difficultatibus obſepta illa ſint, non ignorant. Et ſane, ut nos Plinius docet in Præfatione ad ſuam Naturalem Hiſtoriam: *Res ardua, vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia*. Hæc omnia cum Cl. Marianus præſtet lectiſſima ſua Eruditione juſte partam ſibi commendationem augebit, nominiſque celebritatem inter magis Eruditos merito conſequetur.

Fr. Thomas Maria Minorelli Ordinis Prædicatorum Sac. Th. Mag. Bibliothecarius Caſanatenſis.

E Cœnobio Minervitano Pridie Idus Martias anno 1728.

CAPITUM

Elenchus.

Cap.I. DE *Etruria Metropoli, quæ Tuſcia, Turſenia, ac Tuſcania dicta eſt: Dempſteri errores multi proferuntur: Plurium Etruſcarum vocum ab Hebræis origo demonſtratur.*

Cap.II. *Etruriæ etymologia à multis tentata: Male à Græcis petita: Ab Hebræis fluxit. Etruſci cur Lydi dicti: Dionyſii locus illuſtratur: Iſaiæ locus pulcherrimus exponitur.*

Cap.III. *Turrhenia ab Athur dicta: Hinc noſtri etiam Tyranni appellati: Locus Virgilii de Curetibus, qui primum apud nos, deinde in Græcia, ac Phrygia habitarunt.*

Cap.IV. *Etruriæ, ac Tyrrheniæ ſignificatio: tota Italia* Τυῤῥηνία *dicta, Provincia à Tiberi ad Macram, ac demum noſtra Civitas.*

Cap.V. *Locus Livii, Lapides Antiqui, aliique Scriptores expenduntur de Topographia Agri, & Civitatis Etruriæ.*

Cap.VI. *Hetruriæ pars Vmbria dicta: Cluſini Camertes appellati contra noſtram Etruriam conjurant: Livius, Plinius, Scymnus illuſtrantur.*

Cap.VII. *Etruriæ noſtræ Regio vicatim habitata. XV Populi fuerunt ex duabus inſcriptionibus apud Gruterum, & Reineſium. Horum nomina.*

Cap.VIII.

Cap.VIII. *De locis Avernis in noſtra Etruria: Varro, & Lucretius reſtituti, atque explicati.*

Cap.IX. *De Lacu Vadimonis in Etruria, ac prædiis Amærinis: Uterque Plinius, aliique explicantur.*

Cap.X. *De Thermis Caiis, quas ineptæ Bajas vulgatæ editiones Tibulli appellant in Etruria.*

Cap.XI. *Locus Strabonis de iiſdem aquis Calidis.*

Cap.XII. *De Sede Vrbis Agyllinæ: Æneas non Cære petiit, ſed noſtras Vrbes. Virgilii locus difficillimus explicatus.*

Cap.XIII. *Varronis locus de Vertumno Etruriæ Deo exponitur: Volturrenæ, & Voluſirenæ nomen expenditur. Muſivi operis deſcriptio.*

Cap.XIV. *Livii, ac Plinii locus de Volturrenis reſtituitur à nemine bene notatus: Vejentes ab Etruria diſtincti.*

Cap.XV. *Cicero pro Cæcina Volturreno non Volaterrano explicatus.*

Cap.XVI. *Cæcina Vulturrenus cujus gentis fuerit. An Mæcenas Cilnius dictus? An Arretinus? Silii loca pulcherrima expenſa.*

Cap.XVII. *De Vetulonia Etruriæ Vrbe: Ptolomæus à cenſura Cluverii defenditur.*

Cap.XVIII. *Plinii locus reſtituitur de Vetulonia, atque Amæria noſtræ Etruriæ.*

Cap.XIX. *Dionyſii Halicarnaſſii locus reſtituitur de eadem Vetulonia.*

Cap.XX. *Silii locus de eadem, & etymologia ejuſdem.*

Cap.XXI. *Livius expenditur de Longhola Etruriæ: eadem Sorrina, ſeu melius Surrena Nova dicta.*

Cap.XXII. *Verrius Flaccus, ſeu Se. Pompejus reſtituitur de Arbea Etruriæ noſtræ Vrbe.*

Cap.XXIII. *Livii, aliorumque opinio expenditur de Lucerum Nomine, & tribu. Virgilius, Dionyſius, aliique illuſtrati.*

Cap.XXIV. *Lapis Langobardicus Deſiderii defenditur. Holſtenii, & Fabretti teſtimonia. Cluverii, aliorumque conatus irriti contra eundem.*

Cap.XXV. *Atlas Italus Electræ Pater. Curetes progenitores Tuſcorum, unde in Phrygiam profecti cum Dardano?*

Cap.XXVI. *Cybele apud nos Culta: Statuæ effoſſæ veriſſimæ. Latinius excuſatur. Italus non Atlas, ſed Athur dictus fuit.*

Cap.XXVII. *Veterum mos, atque Horatii præceptum de imponendis nominibus expenditur. De noſtra Vrbe, quæ prius Etruria, & Beterbon dicebatur. Viterbum in Galliis. Borghinii Confutatio.*

Cap.XXVIII. *De Sentinatibus in Hetruria, Conjectura de Aquis Taurinis. Vbi Decius ſe devoverit? S. Flavianus ad Viam Caſſiam occubit. Numatianus, ac S. Gregorius expenditur.*

Cap.XXIX. *De noſtræ Civitatis Politia: XII Etruriæ Coloniæ. An Reges habuerint. Tuſcorum ſcripta deperdita.*

Cap.XXX. *De noſtræ Civitatis πολιτεία ſub Romanis: quo tempore Civitate donati fuimus? Conjectura ex Plauto, & Cicerone.*

Parergon de Epiſcopis Viterbienſibus.

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Sellari Ordinis Prædicatorum, Sac. Apoſt. Palatii Magiſter.

Procœmium.

MUltas extitiſſe Urbes in Italia opibus, ac rerum geſtarum gloria celeberrimas, quæ nunc non modo ſuæ dignitatis nullum faſtigium retinent, verum nec ſuarum cladium, aut ſaltem nominis veſtigium, nemo eſt qui ignoret. Hinc tot inter Scriptores, atque Antiquarios controverſiæ: hinc tot ultro, citroque volumina. Vejentium, ac Faliſcorum Urbes nobiliſſimæ teſtes eſſe poſſunt, ut longius diſſitas omittamus, pro quarum altera Cl. Famianus Nardinus, pro altera Antonius Maſſa non minus contra temporis injurias, quam contra adverſariorum inſcitiam dimicarunt. Verum de nulla acrius, ac diutius, quam de noſtra Tetrapoli certatum eſt. Hujus enim antiquitatem non ſolum in controverſiam vocarunt finitimi populi, verum etiam quotquot intra, & extra Italiam hiſce de rebus ſcripſerunt. Fere omnes quatuor Oppida irrident, quod ſummæ dignitatis, atque amplitudinis apud Veteres argumentum erat, quamplurimi recentem Urbem, pauci vetuſtiſſimam credunt: Alii Longulam ſolum fuiſſe dicunt, alii Fanum Volturnæ, alii Vetuloniam. Sunt qui Longulam non apud nos, ſed in Volſcis duntaxat fuiſſe contendunt: Sunt qui Vetuloniam prope Populonium conſtituunt. Fanum Volturnæ Viterbum eſſe dat quidem Cluverius, ſed in gratiam, atque obſequium, ut quidam dictitant, Card. noſtri Scipionis Gubellutii: Argumentum profecto firmum nullum omnino in medium affert. Quid de lacu Vadimonis dicam, quem non ſo-

lum alii ad Ortam; alii ad Montem Roſulum, verum etiam ad Ameriam in Umbriam aliqui tranſtulerunt? Quid de Thermis Cajis, quas, cum à Strabone, ac Tibullo diſerte in Etruria deſcriptæ fuerint, in Bajas Campaniæ inuſitata, atque incredibili metamorphoſi commutarunt? Nihil loquor de noſtris hiſtoriis, ac monumentis: Minima Eruditorum hominum pars vera eſſe putant: pars maxima univerſa dolo malo conficta. Atque utinam de ſola Urbis vetuſtate, veterum locorum gloria, ac monumentorum veritate certamen nobis eſſet. Epiſcoporum Sedes, atque origo in controverſiam vocatur: atque in hoc grave, ac iniquiſſimum judicium etiam noſtratium Scriptorum ſubivimus: Præterea SS. Martyrum Valentini, atque Hilarii, Demetrii, atque Eudoxiæ hiſtoriam multi in dubium revocant: Præſides, qui illos damnarunt Ferenti fuiſſe dicunt: quorum quidem errorum culpam non tam hominum ignorationi, atque invidiæ, quam temporum diuturnitati, atque iniquitati adſcribendam dicerem, niſi viderem alia recentiora noſtræ Urbis decora perfracte negata, ac per ſummam injuriam conviciis exploſa. Irrident Palaeologos Græcorum Imperatores Viterbo oriundos: Gotifredum, qui Pantheon, atque alia litteris mandavit, Vitembergenſem, non Viterbienſem volunt: Sanctiſs. Virginem Roſam virtutum, ac miraculorum gloria nulli ſecundam, utpote quæ triennis mortuum revocavit in vitam, Viturclanenſem faciunt: Jacobum Archiepiſcopum Neapolitanum, ac S. Doctoris Aquinatis Auditorem, & Thomam Veltrium Scriptorem elegan-

gantiſſimum, atque Epiſcopum Caſtrenſem ſilentio præ-tereunt: Magiſtrum Jacobum ex Inclyto Ordine Prædicatorum Archiepiſcopum Tarentinum, ad quem eiuſdem S. Thomæ de Emptione ad tempus liber ſcriptus eſt, Urbevetanum prædicant: Ægydium Cardinalem doctiſſimum antea Auguſtinianorum Generalem ex Canepina ortum, Hieronymum Ruſcellium Venetum eſſe contendunt. Paullum III., quem Viterbienſem paterna domus, plura Sacerdotia, ac ſubinde Archipresbyteratus S. Siſti cum multis ſubſcriptionibus, ac monumentis in noſtris tabulariis teſtantur, ut demonſtravit Patrus Corretinus in Epiſcoporum Viterbienſium Chronologia, noſtrum eſſe negant. Solum Annium, quem doctum quidem, ſed mendaciſſimum faciunt, & Latinum Latinium, qui contra Annium, & noſtras antiquitates ſæpiſſime in magna doctorum virorum frequentia Romæ declamabat, libenter concedunt. Horum omnium cauſſam in me recipere non eſt animus. De Viterbi antiquitate, atque Epiſcopis verba faciam, alia, ſi res feret, attingam: & quamvis neque eruditione, neque ingenio aliquid poſſim, & multo minor ſim, quam ut cum tot doctiſſimis adverſariis conferri auſim; tamen diligentia fretus, quam unice mihi ſubſidio comparavi, inveteratam, atque inſitam in animis hominum de Viterbienſium fabulis opinionem, Deo juvente, penitus evellam. Ipſe ſiquidem adoleſcens ſtudiorum curriculo expleto, quum viderem maximos viros de noſtris antiquitatibus inter ſe diſſidentes, omni ope niſus ſum, ut quod pro utraque parte in medium afe-

ferebatur edifcerem. Magnum Philippi Cluverii nomen, aliorumque auctoritas diu me, fateor, tranſverſum egerunt: Sed quum loca diligentius inſpicerem, antiquas vias ſæpe inquirerem, inſcriptiones omnes colligerem, Livii, Plinii, aliorumque teſtimonia conferrem, antiquarum vocum radices eruerem, Regum, ac Pontificum diplomata evolverem, ac præſertim adverſariorum ineptas rationes expenderem; luce clarius cognovi, qui in aliqua Urbe natus non ſit, in ea diutiſſime verſatus, atque in excutiendis vetuſtis monumentis ſummo ſtudio uſus, eum hiſce de rebus ad ſcribendum minime eſſe idoneum. Quonam enim modo, qui alicubi triduo, aut ad ſummum quatriduo moratus ſit, qui forſan nunquam locum aliquem viſerit, qui Archiva, atque epigrammata nunquam viderit, de Antiquitate, de ſitu, de Hiſtoriis poterit ferre ſententiam? Verum enim vero hiſce poſtremis annis, ſingulari Dei O. M. beneficio tot monumenta reperta, tot ſigna prolata, tot patefacta ſummorum virorum teſtimonia me timidum, atque ad tot adverſariorum clamores pene hærentem excitarunt quidem, verum mihi vix ſatis animi erat ad manum operi admovendam: Sed quum Benedicti XIII Pontificis Optimi Suprema Auctoritas acceſſiſſet, qui poſtquam Archidiaconum, Archipresbyterum, &c. noſtræ Cathedralis Canonicos Mitra, noſtros Magiſtratus aurea toga, aliiſque ornamentis decoravit; antiquitatem noſtræ Urbis præſertim verbo, ac litteris aſſertam voluit, atque hoc ipſo anno 1727 ſua præſentia, ac Solemni Archiep. Colon. Electoris Sa. Ro. Imperii

Cle-

Clementis Auguſti Conſecratione Canonicis ipſis cum Mitra Adſtantibus, & Magiſtratu cum Aureis veſtibus throno adſidente illuſtravit; viſum eſt beneficium hoc maximum, graviſſimum judicium, ac veriſſimum Oraculum ſcripto exornare, atque complecti, atque in gratiſſimi animi argumentum ſingulari præconio poſteritati commendare.

DE


p. 1.
Tiberis
Sabinae pars
Orbitum
Palia fluv.
Ager Vulsiniensis
ETRVRIA ANTIQVA
Balneum Regis
Roda
Orta
Falesia seu Faleria
Osirianum
Amacria
Florentia
Ferentum
Lacus Vulsiniensis dictus Magnus Italiae
Seu Martis
Cort: Narsa
Cort: Enebra
Tudernum
Ager Viterbiensis
Faliſci
Fesc: ennium
Falleri novum
Troilium
Capenates
Soracte
Nepet
VIA FLAMINIA
VIA CASSIA
Forum Cassij
Sutrium
Forum Cornelij
Ager Veientanum
VIA CORNELIA
Sabatia Lacus
Bachana
Blera
Barbaranum
Tarquinia
Graviscae
Martis fluvius
Caninum
Castitana
VIA CLODIA
ager Caeretanus
Agylla seu Caere
Agri Romani pars
Mare Turrhenum
Millaria decem
Thermae Taurianae
VIA AVRELIA
Centumcellae
Pissa nunc
Cornietum
Arcona
Sentinatus Agri Pars, et Vmbriae veteris

DE ETRURIA METROPOLI,

QUÆ TUSCIA, TURSENIA, ET TUSCANIA DICTA EST.

Dempſteri errores multi proferuntur, Plurium Etruſcarum vocum ab Hebræis origo demonſtratur.

CAPUT I.

SUB finem anni elapſi prodiit in lucem Thomæ Dempſteri opus poſthumum tandiu exſpectatum. Ego ſtatim ac Romæ viſum eſt, domum tuli, totumque oculis non indiligenter luſtravi. Ad ſingula capita Scriptoris laborem, atque eruditionem mirabar, ſed judicium, diligentiamque requirebam. Quum de Etruria Regali ſe ſcripturum ex profeſſo polliceatur, neque utrum Regia vere dici poſſit expendit, de quo maxima controverſia eſt, quum Reges nunquam habuiſſe ex Livio, aliiſque multi opinentur: neque ſi Reges habuit, ubi nam fuerit eorum ſedes definit. Laconicῶs tantum Cluſium Metropolim dicit ſemel, & pergit; & alio in loco Stephanum Bizant: Crotonem Metropolim notat appellaſſe dumtaxat. Libro 4. c.5. Vulſinios unam ex XII. Urbibus Etruriæ Caput olim totius gentis, & eodem libro c.17. Agyllam Regum Etruſcorum fuiſſe Sedem notat. Hoccine eſt de Etruria Regali ſcribere? Jam notum erat has, atque alias Urbes Etruriæ Capita fuiſſe appellatas, immo etiam

Pyrgos, ut refert Servius in librum x. Æneid. Sed hoc quæritur, in hoc dubitationis cardo vertitur, hac de re quam expectationem fecerat, explere debebat. Fixam enim, & non vagam fuiſſe Urbem principem, ſicut in Circumpadana Etruria Felſinam, in Campana Capuam eſt qui non inepte contendat. Græcam etymon ſecutus Thuſciam à θύω, thuo, ac ture, Turrheniam, ac Turſeniam à Turribus, τύρσεις turſes enim turres appellatas ex Dionyſio Halic., aliiſque oſtendit: in quo quidem ceteris venia fortaſſe danda eſt, qui caſu de rebus noſtris aliquid attigerunt: Dempſtero autem, quod etiam de Cluverio, aliiſque dici poteſt, minime gentium, qui conſulto de ea ad ſcribendum aggreditur. Enimvero gentem non modo Italiæ, ſed totius Europæ antiquiſsimam, ac doctiſſimam, quod alii etiam adnotarunt, à novitiis Græcis, aliiſque exteris ſuam nomenclaturam petiviſſe, quis ſibi ſuadeat? At in veterum locorum ſitu deſcribendo Dempſterus turpius labitur: Regis villam à Strabone memoratam in Agro Volaterrano eſſe credit, quodque eſt magis mirum inter portum Romanum, & Coſas. Neſcit ubi ſit Hortanum, & an ſtet adhuc: Bleram, & Galleſium penitus interiiſſe ſcribit: Urbem veterem, ſeu Orbitum cum Centumcellis, Centumcellenſem Leopolim cum Civitate Leonina in Vaticano confundit: Flavianum in agro Vejentano locat, ut Annius jam ſcripſerat, ſed prope illud ccc Fabiorum cædem accidiſſe opinatur. Forum Claudii, quod non male Tulfam eſſe dicit, in Faliſco ponit: Silvam Ciminiam cum Arſia, & Moeſia in Vejenti: Tifernum Tiberinum in Tuſcis, Capenates contra, lucoſque Capenos in Etruria eſſe

ne-

negat. Corrigit Dionyſium Halicarnaſſium; quod Cortonam Umbriæ Urbem appellat, adeoque quum de Etruria ſcriberet, tractum illum ubi Umbro Fluvius, Cluſium, aliæque Urbes ſunt, Umbriam fuiſſe à Plinio, aliiſque appellatam ignorat: Illud Vitruvii: *in agro Faliſco via Campana campo Corneto* de Cornyeti Oppido, quod in Tarquinienſi eſt, intelligit: In Faliſcis pariter Pitilianum, Farneſium, Caſtrum eſſe dicit, quamvis cum Antonio Maſſa merito eos carpat, qui M. Flaſconem Faliſcorum Urbem eſſe opinantur: Turrheniam, & Tuſcaniam eſſe diverſas Urbes, ſicut & Tarchonium, & Tarquiniam, quia Stephanus diverſis in locis refert: expectabam dum Peruſium, & Perrheſium ſejungeret. Tandem Tuſcum, Etruſcum,& Turrhenum diverſos eſſe principes credidit: Æolum inter Etruriæ noſtræ reges enumeravit. Alia complura prætereo. Sed quia ii, qui de antiquitatibus ſcribunt, tum ſibi eruditi, atque excellentes videntur, quum Annium carpunt, & maledictis onerant, is ad ſingulas fere paginas illum ſtultum, mendacem, in dedecus litterarum natum clamitat. Ego de hoc homine nihil ſcribere decreveram, quia illius ſcriptis, ac commentariis non opus habeo: Verum pauca tandem à reluctanti calamo expreſſit liberrima indignatio. Annii ſcripta, ac commentaria ſint falſa, ſint ſuppoſita, ſint, ſi ita vis, dolo malo conficta, at quid monſtri erit, ſi videbimus multo veriora eſſe illius ſomnia, ac deliramenta, quam ſani, ac vigilantis Dempſteri elucubrationes? Annius libros ſuppoſuit, inquit, ut ſuæ Patriæ ſplendorem conciliaret, ſeu ut Florentini Scholiaſtæ loquuntur, ad decus patriæ promovendum. Ego quæ de

Viterbo dixit fere omnia veriſſima, ac ſolidiſſima eſſe, oſtendam ex probatiſſimis auctoribus, ex inſcriptionibus antiquiſſimis, atque ex veterum nominum adhuc exſtantium certiſſima etymologia. In hoc tantum peccaſſe contendo, quod pauca ſcripſerit, quum multo certiora, ac glorioſiora proferre aut potuerit, aut debuerit. Age igitur breviter videamus. Jam Cluverius, aliique, ipſæ notæ, ac tabulæ Chorographicæ in Dempſterum Viterbum Fanum Volturnæ vere eſſe fatentur. In hoc igitur arte, atque aſtu non opus erat, idque ſolum ad ſummum patriæ ſplendorem conciliandum erat ſatis, ſuperque, quum nobiliſſimam, atque antiquiſſimam Etruriæ Urbem ipſe Dempſterus appellet l.4. c.75. Aſt Annius Vetuloniam, aliaque Oppida eiſdem muris cincta prodigioſo exemplo, ut idem loquitur, commentus eſt, in quo aſsiduo convicio ab aliis quoque verberatur. Scimus, ſed aqua hæret. Multo ante natum Annium, ut videbimus, complures Scriptores, Cardinalis Marci Epitaphium, quod refert Ciacconius, atque integræ Civitates Viterbum Vetuloniam appellant: plures vero Urbes conjunctas, ſeu πόλεις μικρὰς, καὶ συνεχεῖς i. *Urbes parvas*, & *contiguas* ex Strabone, Dionyſio, aliiſque luce clarius oſtendemus, quorum ſi libros adverſarii attente legiſſent, aut intellexiſſent, (parcant libertati dicendi) non tot turbas contra Viterbienſes excitaſſent. Legi quæ Vincentius Borghinius elegantius, quam verius opponit: Verum neque ipſe, quamvis omnem operam, ac majorem conatum, quam quiſquam alius adhibeat, noſtras antiquitates loco movet: in quo quidem illum ſumma laude dignum cenſeo, quod pro ſua patria acerrimo

rimo

rimo ſtudio, ac contentione noſtros Scriptores, ac noſtra monumenta inſectatur, à dicteriis tamen, atque à conviciis adeo abſtinet, ut Hetruſcum ingenium, & nobilem hominem poſſis cognoſcere. Quare mirari ſubit, quum tot doctiſsimi Viri ducentis, & amplius annis in Italia, atque Hiſpania, Gallia, & Germania, Britannia, ac Luſitania contra nos ſcripſerint, quum ipſe Latinius Viterbienſis in noſtras antiquitates etiam quoddam bellum Civile excitarit; nihil adhuc protuliſſe in medium, quod Annii commenta everteret, aut ſaltem labefactaret. Quid facilius Deus Imm: doctis hominibus, quam fabulas, atque errores detegere, atque obterere! Immo ne doctis quidem viris opus eſt: ipſa mendacia ſe ipſa produnt, ac vix in lucem prolata evaneſcunt. At noſtræ Urbis monumenta cum à Carolo Sigonio, Gaſpare Barthio, Dionyſio Gotofredo, Friderico Sylburgio, Chriſtophoro Zanchio, Guilelmo Poſtello, Leandro Alberto, Ægydio Cardinali, ut Viterbienſem nihilo minus doctum, atque eruditum Viterbienſi Latinio opponam, aliiſque ingenio, eruditione, ac linguarum cognitione celeberrimis maximi habita ſunt ſæculo ſuperiore; tum noſtra ætate, quum critica ars ad ſummum pervenit, plerique illorum Sententiæ, qui Deſiderii decretum confictum eſſe clamitant, diffidere incipiunt, alii aperte adverſantur. Conſulant Lectores veritatis amantes notas in Gruteri Inſcriptiones pag. ccxx, Conſulant Deckerum de ſcriptis adeſpotis; conſulant Bayle dictionarium, ubi de Nannio verba facit, & Joannem Tafurum in notis ad librum de ſitu Japygiæ Antonii Galatei pag. 95. Harduinus (, qui crederet?) in

in notis ad Caput quintum libri tertii hiſtoriæ Plinianæ noſtrorum monumentorum teſtimonio utitur. Jam notum eſt P. Mazzam, & P. Macedo longas apologias pro ipſo ſcripſiſſe. Unus Rapalingenus Livianus ab accuſationibus adverſariorum Annium liberavit, ſi Italis Litteratis in Ephemeride 1678. pag. 122 fides eſt. Sed quoniam de hoc homine dicere incepimus; pauca addi Lectores patiantur. Is veterum Etruſcorum linguam ab Hebraica ſæpe derivat, ab eaque fidenter nominum originationem, explicationemque deducit. Hoc illi vitio dant, temeritatis, ac falſitatis accuſant. Ego tamen & ſermonem, & genus ipſum Etruſcorum à Semonis, & Chami Filiis oriri ad veritatem inſequenti capite oſtendam. Neque hoc vel ridiculum, vel temerarium eſt, immo in eo Annius ſummam meretur laudem, qui tot eruditiſſimis hominibus præivit, qui gentium originem, & locorum nomina à primæva lingua fluxiſſe demonſtrant. Hoc Ugo Grotius de Verit. Relig. Chriſtianæ, hoc Paullus Merula in Geographia, hoc Samuel Bochartus in Phaleg, & Chanaam, hoc Guilelmus Boniurius in Academiis ad M. Flaſconem, aliique uſurparunt. Hinc noſcant quam eruditus, quam doctus, quam minime fallax noſter auctor ſit. Non ſolum quæ ſuppoſuiſſe dicitur, probatiſſimorum Scriptorum auctoritate fulcit, ſed nomina ipſa locorum non proprio marte, non imaginaria plerumque græcorum etymo, ſed veriſſimo, atque optimo primævæ linguæ teſtimonio confirmat. Civitatem Caſtellanam Pheſcennium eſſe dicit, atque hoc nomen à Pheſce voce Scythica deducit. Hic plures corrugare nares, vel cachinnari:

alios

alios alibi ponere, ſed פרש numquid equitem calcaribus etiam armatum non ſignificat? Conſulant Buxtorfium, & Pagninum. Nonne *R.* litteram ſæpe noſtros omiſiſſe teſtatur pag.2 ipſe Dempſterus? quod & Latini uſurparunt, & quod græci λέκτρον lectum, quod κέντρωνες centones dixerunt, ſicut noſtri à פות poth portam, à מות mut mortem? Nonne Civitatis illius antiquum ſtemma exhibet militem equo inſidentem, qui ex arce exire videtur, unde fortaſſe Caſtellanæ nomen fluxit? Nonne, ut alios præteream, Famianus Nardinus in iis locis natus, diuque ſumma cum eruditionis laude verſatus contra Cluverium Civitatem Caſtellanam Feſcennium eſſe defendit? At ab antiquo ſtemmata in uſu non erant, & in cultiſſimam Italiæ partem Scythicum idioma, ut ait Dempſterus, penetrare non potuit. Annius iis, qui hæc opponunt eorum temporum αὐτοψίαν, & noſtri Pythagoræ μετεμψύχωσιν comiter gratulatus pergit, & Peruſiam, ſeu Perrheſium à voce פרם peres multo ante Achæorum adventum oriri docet, quæ gryphum ſignificat. Re vera illius nobiliſſimæ Urbis inſigne eſſe antiquiſſimum ex figura cum litteris Etruſcis tom.1 Dempſteri pag. ult. indubitatum eſt. Nunc enim vero quam vellem Britannum illum vivere, ut ad incitas illum redigerem, ad reſpondendum ſic compellerem! An audes negare Perus primæva lingua gryphum ſignificare? Hoc lexica Hebraica referunt, & teſtimonium etiam R. David, & S. Hieronymi proferunt. Caſu ne, an conſulto factum eſt, ut Urbs illa illud ſtemma, atque illud nomen habeat? Quid ille ad hæc, quid alii ſaltem pro illo reſpondeant? Nihil de Luna dicam

à Græ-

à Græcis σελλων, à noſtris ex Hebraica voce קרתירח Carraria dicta, cujus ager nunc quoque Lunigiana dicitur, & *la Carrareſe*. Nihil de ſtemmate, cujus meminit Martialis Coquus l.12. *Ep.*30.

Caſeus Hetruſcæ ſignatus imagine Lunæ.

nihil de antiquiſiſsima Thuriorum Urbe, cujus inſigne, ut videmus in nummis, Taurus eſt, à quo & nomen habet, תור enim bovem ſignificat, quod etiam teſtatur Plutarchus in vita Syllæ, & nos alibi melius videbimus. Dempſterum ſuo ſibi gladio jugulo. Ille Nepet Urbem ab inſigni, qui ſcorpius eſt, nomen habere credit, & Feſtum laudat, qui nepam lybica lingua Sidus, & Scorpionem ſignificare teſtatur. Noſtræ Urbes igitur ab antiquo & Stemmata habebant, & à vetuſtiſsimis linguis ſæpe nomina mutuabantur. Quid de aliorum nominum originatione dicam? Herculem à noſtris Hercol dictum, ideſt totum pellitum à עור *hor*, & כיל *col* deducit, at nuper Hercules in aerea patina inventus, qui refertur etiam apud Dempſterum, HERCOL à dextera ad ſiniſtram adſcriptum habet. Foranum in noſtro Agro dirutum prope Horchiam (nunc Norchiam dicunt) Forum Annii noſter Antiquarius fuiſſe dicit. Quis non ſuſpicetur hoc in gratiam ſuæ gentis fuiſſe commentum? At ibi Anniam viam extitiſſe ex antiquis epigrammatis certum eſt à Panvinio relatis de Urbe Roma p.72, & 74 edit. Valgr. quæ Annius profecto non vidit: ibi legimus ex ordine CUR VIARUM CLODIÆ ANNIÆ CASSIÆ CIMINÆ, viæ vero plerumque Forum habebant, ut Forum Clodii, Forum Caſsii, Forum Ciminium, ut demonſtra-

ſtrabimus. Ergo etiam Forum Annii, Ut verum ſatear ex tot, quæ Annio, ejuſque libris objiciuntur, nihil ſolidum, nil grave, nichil denique, cui non reſponderi poſſit inveni. Quod me primo aſpectu terruit illud eſt; quod à Viro eruditione, & dignitate Eminentiſſimo prolatum fuit: Dionyſius Halic. Catonem refert, qui Aboriginum gentem græcam fuiſſe ſcribit: at in Annianis Catonis fragmentis proles Umbrorum dicuntur. Ergo ea ſunt conficta. Si quis defenſionem hic velle adornare non difficile eſſet Aborigines Italos, & Græcos; Catonis excerpta, & Catonis libros diſtinguere. At ego ficta eſſe ea fragmenta concedo. Viciſtis Annii adveſarii, ſed Annium abſolviſtis. Is ad marginem ejuſdem Halicarnaſſei locum refert, ubi Aborigines ex Catonis teſtimonio græci dicuntur. Sciebat igitur quid Dionyſius, & Cato ſcripſerunt: Sciebat quod objici poterat. Ea igitur fragmenta non ſuppoſuit, ſed ut invenit typis vulganda curavit. Hæc pauca præfari mihi viſum eſt, non quod noſtro Antiquario auctoritatem, aut illius libris conciliatam velim; ſed ſolum ut ne ſtatim opinentur lectores ab adverſariorum clamoribus deterriti ipſum falſi eſſe convictum, aut ſi aliqua mihi cum illo conveniunt, ab iis libris me eſſe mutuatum, eandemque falſitatis ſuſpicionem ſubire. Quamvis Vir ſuæ ætatis doctiſſimus, ut ajebat Cl: Magliabecchius, & linguarum orientalium gnarus fuerit, ut ajunt Scholiaſtæ in Dempſterum, tamen iterum profiteor me illius opis ad patriam defendendam neque eſſe cupidum, neque plane indigere, immo ei in multis adverſari: at-

B que

que hæc ſolum hactenus exarare, ut illius innocentiæ, ac Patriæ, cui plus, quam conſanguineis, ac parentibus ipſis debemus, veriſſimæ gloriæ litarem.

CAP. II.

Etruriæ origo à multis tentata, male à Græcis petita, ab Hebræis fluxit. Etruſci cur Ludi dicti. Dionyſius illuſtratus. Iſaiæ locus pulcherrimus.

UTrum Etruſci indigenæ eſſent, an advenæ diu, multumque dubitatum eſt. Nam quum plures Scriptores Lydos appellent, & plerique omnes vocent Italiæ antiquiſſimos, certamen viſum eſt ambiguum, & quod dirimi vix poſſet. Hac in re ſuam operam poſuerunt Dionyſius Halicarnaſſius l. 1 Antiq., Cluverius to. 1 Ital. Antiq., Rickius in diſſertatione De primis Italiæ Colo:, Fontaninus in Antiqu. Hortanis, & hiſce poſtremis menſibus Clar. Scipio Maffejus. Verum pace ipſorum dicam; Vertumnis adeo iniquis, ut alii alia ſentirent, omnes alterutrum defenderent, nemo utrumq. conciliaret. Enimvero commenta rebus falſis neque fulciuntur, neque illuſtrantur. Soli veritati famulantur omnia: τῶ ἀληθεῖ πάντα συνάδει inquit Philoſophus l. 1 ad Nicom. c. 18. Ipſe, abſit verbo invidia, veram nominis, & gentis originem proferam: Litem tam diuturnam, tamque implicitam levi brachio componam: Ludorum adventum indubitatum, & ſimul noſtros αὐτόχθονας,

at-

atque antiquiſſimos demonſtrabo. Qui locum à notatione nominis tractant plerunque non niſi græca proferunt, perinde quaſi ex Areopago ſolum rerum inventores, & conditores Vrbium prodierint. Hinc innumera puerilia, perverſa, & falſa de Etruriæ etymo. Ab ἑτέρα ὄυρα Servius deducit. Verum nondum quiſquam græcorum in Italia auditus fuerat, immo fortaſſe in ipſa Græcia vox nulla eruperat, quum noſtra Etruria & hominibus, & urbibus frequens erat. Nam Jano, ut teſtatur Ovidius græcis licet fabulis addictiſſimus, par nullum Græcia numen habet. Annius cum Dionyſio à Turribus etymon trahit ac multa dicit, ſed cubitum nullum aſſiduo curſu confecit: Verum Ægydio Viterbienſi, & Guilelmo Poſtello lampade tradita (nam ſuum unicuique tribuendum eſt) præterea Paullo Merulæ, & Athanaſio Kircherio linguarum peritiſſimis; illi ex Aſsyria ortam veluti è longinquo, ac per nebulam conſpexerunt. Hanc ego lampadem egregie ornatam, ni fallor, in loco meliore collocabo. Etruſcos Lydos, ſeu ut vetuſtiores ſcribebant, Ludos fuiſſe dictos nemo eſt, qui ignoret. Ita enim non ſolum poetæ omnes, ſed etiam Hiſtorici nos appellant. Celeberrimum eſt Decretum Etruriæ noſtræ à Sardianis lectum apud Tiberium, in quo Lydi noſtri conſanguinei aſſeruntur, ut narrat Tacitus l. 4 Annal. Hanc vocem à Lud Semi filio derivatam teſtatur Joſephus l. 1. Antiq. Judaic., & S. Hieronymus in Cap. 66 Iſaiæ: *Lud* (inquit) *Lydos vocant, quorum Coloni Etruſci*. Hinc videant quanta fide digni ſint Grammatici, atque Hiſtorici, qui Lydos eſſe græcos ſine ulla dubitatione ſcri-

pſerunt. At nos ludi vocem ab Hebraica lingua ortam ineluctabili etiam etymologiæ argumento demonſtramus. Ludi Mæones ſemper ab Homero appellantur, quod & minores uſurparunt: hinc noſtri toties Mæonii dicti. Hæc nota ſunt pluribus, ſed non perinde quod addam: Quod græcis Μάιων i. Mæon a μαίοεσθαι i. Mæoeſthæ, quod obſtetricari ſignificat; id hebræis לוד lud ab ילד illed, ſeu jalad, ut etiam eruditis: Samuel Bochartus obſervavit. Quare minime dubium eſt Homerum, alioſque, quum hebraeas voces effugerent, ſynonyma ex propria lingua ſubſtituiſſe. Etruſci igitur à Lud & genus, & nomen Lydorum habent. At Etruſci unde dicuntur? Gradatim quæſo, & ſuſpenſo pede: tantæ enim antiquitatis myſteria ſtatim aperiri non poſſint, præſertim quum eruditiſſimos viros, ſumma ingenia, ac rei antiquariæ celeberrimos myſtas horum inveſtigatio torſerit, & fatigarit. Etruſcos primum Eturos dictos ex ſervio in lib. XI. notat ipſe Dempſterus pag. 2. *Trans Tiberim homines dicebant Eturos, quos nunc vocant Etruſcos.* Etruria igitur Eturia dicebatur: ſed audiamus eundem Dempſterum, qui ſæpe ſæpius de noſtrorum Scriptorum opinione ſatagens, ipſos non vulgari afficit honore: *Fatue hic* (addit eodem loco) *ſtolideque ineptit Leander Albertus, qui Etruſcos ab Etruria regione ducit: ſed hoc inſulſiſſimus ei perſuaſit Annius. Si Etruſci ab Etruria, Etruria unde? Somniat.* Hactenus ille acute quidem, ſed quum magnas eruditionis ubique opes effundat, mirum eſt Dionyſij l. 1 Antiq. pulcherrimum locum non vidiſſe, ubi de noſtris Etruſcis longum Sermonem inſtituit. Is Turrhenos à Romanis Etruſcos appellatos

tos diſerte ſcribit *ἀπὸ τῆς χώρας, ἐν ᾗ ποτε ᾤκισαν à regione, in qua quondam habitarunt.* Regio hæc Athuria eſt, cujus meminit Strabo lib. 16, & Dio in Trajano, & Svidas in voce Νῖνος *Ninus*, teſtaturque Bochartus Athuriam, & Aſſyriam, ſeu Aſſuriam ſolo dialecto differre, altero ab Hebræa voce אשור *aſſur*, altero à Chaldæa אתור *Athur*. Ab Athur igitur noſtra Etruria nomen habet, quod ab Atura noſtra Colonia in Aremoricis indubitatum erit. Sæpe enim A in E commutatur, ut Academia, & Ecademia apud Stephanum: Enoch, & Annoch, quod obſervat idem Bochartus: Emorræorum, & Amorræorum Pſal. 135, ut vertit Leuſden: Elis, & Alis apud Plautum, quod notat Turnebus in Captiv. Prologo: Aſclepius, & Eſculapius, quod etiam Jonibus ſolenne eſt. Athur vero, ſeu Aſſur Ludi fratrem nemo unus ignorat. Hinc intelligimus quod nullus ſcholiaſtes adnotavit, cur Silius l. 4 de bello Pun. noſtros cum Ludis conjunctos ab antiquo cecinerit.

Lydorum populos, ſedemque ab origine priſci
Sacratam Coriti, junctoſque à Sanguine avorum
Mæonios Italis, permiſta ſtirpe Colonos.

Italorum nomine Etruſcos intelligi Cl: Scipio Maffejus nuper adnotavit in libro de Italis primitivis, quod nos, dum res feret, melius enucleabimus. Lydos igitur à ſanguine avorum noſtros conſanguineos poeta teſtatur: Aſſur enim primus Coloniam in noſtras terras miſit, & poſt aliquod tempus Torebus Lydus quaſi ad conſanguinitate propinquos venit. Hæc omnia ex eo quod noſtri etiam Raſeni dicti ſunt à Raſena Principe, ut te-

ſta-

ſtatum reliquit idem Halicarnaſſeus, confirmari optime poſſunt. Nam Reſen Civitas primaria eſt ab Athur ædificata inter Ninivem; & Chale, ut habemus Geneſeos Cap. X, à qua & Dux, & noſtri Raſeni dicti ſunt. Sed alio in loco Sacræ literæ, unde omnis doctrina, atque eruditio petenda eſt, apertius hæc confirmant Iſaiæ Cap. 23 *In Cethim conſurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi: Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit, Aſſur fundavit eam.* Cethim enim, ſeu melius כתיים Citthijm ſaltem per antonomaſiam Italiam appellatam latina verſio ſæpe teſtatur, ne Bochartum, noſtrum Ægydium in MSS., alioſque interpretes proferam. Vbi enim Numerorum Cap. 24 legimus יצים מיד כתים; *Jetſim Miàd Citthim*, ipſa reddit: *venient in trieteribus de Italia.* Quare ſicut Athur primus imperium in Eois regionibus longe, lateque propagavit, atque adeo Martis cognomen adeptus eſt; ſic in occiduis regnavit, ab eoque utrumque nomen accepit Athuria, & Etruria. Ad hæc accedit Cham, qui Ham, & Hammon, & Αμοῦν dictus eſt, ut videre eſt apud Bochartum, & Boniurium, non ſolum in Etruria fuiſſe cultum, quod ex numo Coſanorum apud Erizium videmus, ſed etiam Italia à Cameſe Cameſena dicta eſt, ut teſtatur Hyginus, & Trallianus apud Macrobium l. 1 Saturn. c. 7. Vnde in Ægyptum, atque Africam profectos Aſſyrios, ubi Ammon præcipuo honore colebatur, inde poſtea gradum feciſſe ad nos, palam eſt. In quam rem forſan belle cadit illud Iſaiæ Cap. 52. *In Ægyptum deſcendit populus meus à principio, ut Colonus eſſet ibi: Aſſur abſ-*

que

que Cauſa calumniatus eſt eum. Quare non omnino aberravit Cl. Philippus Bonarotá Dempſteri Scholiaſtes, qui multa ab Ægyptiis Hetruſcos habere credit, quorum regio terra Cham dicitur Pſal. 105 Etruſcos quoque Ludorum, & Curetum progeniem vocat Val. Maximus l. 2 c.4, atque id nominis à Cure traxiſſe pro certo habeo. Cus enim Curis dat, ſi declinetur, ut thus, thuris, rus ruris, atque alia multa. A Cure Curetes, ſicut à Quiri Quirites. Nam Cham genuit Chus: ab his Aſſur, ſi non ſanguinem, imperium certe accepit. Quare ſicut Vmbri, & Galli dicti ſunt, qui primi noſtras terras occuparunt: Vmbri dicti ab imbribus terras inundantibus, ut ait Plinius, & Solinus; Galli à גלים gallim, quæ vox pariter fluctus ſignificat; ſic etiam Curetes ex Diluvio orti crediti ſunt, ut Scribit Ovidius l. 4 Metamorph. v. 282.

Largoque Satos Curetas ab imbri.

Verum nil melius Etruſcorum à Chami filiis originem oſtendit, quam id, quod notat Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes de eiſdem Curetibus, ſeu Cabiris loquens: αὐτὼ δὲ τούτω ἀδελφοκτόνω τὴν κίστην ἀνελομένω, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἐπέκειτο εἰς Τυῤῥηνίαν κατήγαγον εὐκλεοῦς ἔμποροι φορτίου. Κἀνταῦθα διετριβέτην φυγάδε ὄντε τὴν πολυτίμητον εὐσεβείας διδασκαλίαν αἰδοῖα καὶ κίστην θρησκεύειν παραθεμένω Τυῤῥηνοῖς. δι' αἰτίαν οὐκ ἀπεικότως τὸν Διόνυσόν τινες Ἄττιν προσαγορεύεσθαι θέλουσι αἰδοίων ἐστερημένον. *Cum Ciſtam ſuſtoliſſent hi duo fratricidæ, in qua repoſitum erat pudendum Dionyſij, eam adduxerunt Etruriam egregiarum mercium mercatores, & ibi habitarunt*

runt cum eſſent exules, venerabilem pietatis doctrinam pudenda, & ciſtam colendam commendantes Etruſcis: propter quam cauſam non improbabili ratione volunt nonnulli Dionyſium vocari Atyn, ut qui ſit privatus pudendis. Quis hic Noe, quis hic Chami ſcelus, & impudentiam per caliginem non videat? Quis noſtrorum Etruſcorum genus non intelligat? Præſertim quum Heſychius apud nos horum Sacerdotem Cabirorum Κοὲν Coën appellatum teſtetur: apud Hebræos enim כהן Sacerdos eſt. Omitto Sacra Tuſca ex Columella de Cultu hortorum, quibus tempeſtates avertebant. Videant lectores, quæ refert Sixtus Senenſis l. 2 verbo Cham, qui harum ſuperſtitionum inventor exiſtimatur. Solum addam, quod apud Suidam habemus v. *Tyrrhenia*, quodque in antiquiſſimis noſtris libris legabatur, ne adeo noſtros impios lector credat, ut omnem etiam Religionem exuerint: ibi enim omnia ſex dierum opera divina recenſebantur adeo diſerte, ac diſtincte, ut Moiſis Geneſim referri putares, niſi duodecim quaſdam domos, & duodecim chiliadas Scriptor immiſcuiſſet: ἱστορίαν παρ᾽ αὐτοῖς ἀνὴρ ἔμπειρος συνεγράψατο. Ἔφη γὰρ τὸν δημιουργὸν τὸν πάντων θεὸν δώδεκα χιλιάδας ἐνιαυτῶν τοῖς πᾶσιν αὐτοῦ φιλοτιμήσασθαι κτίσμασι, καὶ ταύτας διατεῖναι τοῖς ιβʹ λεγομένοις οἴκοις. Καὶ τῇ μὲν αʹ χιλιάδι ποιῆσαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Τῇ δευτέρᾳ ποιῆσαι τὸ στερέωμα τοῦτο τὸ φαινόμενον καλέσας αὐτὸν οὐρανόν. τῇ τρίτῃ τὴν θάλασσαν καὶ τὰ ὕδατα τὰ ἐν τῇ γῇ πάντα· Τῇ δʹ τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους ἥλιον, καὶ τοὺς ἀστέρας. Τῇ εʹ πᾶσαν ψυχὴν πετεινῶν, καὶ ἑρπετῶν, καὶ τετράποδα ἐν τῷ ἀέρι, καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ τοῖς ὕδασι. Τῇ ϛʹ τὸν ἄνθρωπον. cetera I. *Hiſtoriam apud*

apud Etruſcos Vir peritus ſcripſit: ait enim conditorem omnium Deum duodecim millia annorum omnibus rebus à ſe creatis impendiſſe, eaque extendiſſe duodecim domibus ſic nuncupatis. Atque in prima quidem chiliade feciſſe Cœlum, & Terram: in ſecunda feciſſe Firmamentum hoc viſibile vocans illud Cœlum: in tertia Mare, & aquas omnes, quæ ſunt in Terra: in quarta luminaria magna Solem, & Lunam, & Stellas: in quinta omnem Animam volatilium reptilium, & quadupredia in aëre, & in terra, & in aquis: in ſexta Hominem. Cetera. in quibus omnibus ab Hebræis origo non adumbratur ſolum, ſed plane exprimitur.

CAP. III.

Turrhenia ab eodem Athur dicta. Hinc noſtri etiam Tyranni appellati. Locus Virgilii de Curetibus, qui primum apud nos, deinde in Græcia, ac Phrygia habitarunt.

REdeo ad nominis etymon, in qua multa notanda reſtant cum varia propter temporis diuturnitatem, tum ob vetuſtatem ſcitu digniſſima. Ab Athur non ſolum Ethuri, & Etruria; verum etiam Turrhenia, & Tyrrheni, & Tirrhini nomen habent, ut vera, & græca pronunciatione efferimus teſte Vetſtenio: nam idem

Athur Thuras quoque dictus eſt, ut ex Chronico Alexandrino notat Hornius in Sulpicium Severum § 84, & ex Suida, Jo: Anticheno, atque Africano oſtendit eruditiſſimus Bochartus in Phaleg, ubi refert Anonymum ex Salmaſio in Solinum p. 1235. Μετὰ δὲ Νίνον ἐβασίλευσεν Ασσυρίων Θούρας ὅντινα μετεκαλέσατο ὁ τούτου Πατὴρ Ζάμης ὁ τῆς Ηρας ἀδελφὸς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πλανήτου ἀστέρος Αρεα I. *Poſt Ninum Aſſyriorum imperium tenuit Thuras, cui nomen Martis planetae indidit pater ſuus Semus Iunonis frater.* Eadem fere habet Cedrenus pag. 15, & Malala pag. 20 in Bizantina. Quod vero Thuras, atque Athur, ſeu Aſſur idem ſint ex Etymologico apertiſſime colligitur, quod & noravit Abbas Sevin in Memor: Academiæ Regalis gallico ſermone conſcriptis to. 4 pag. 479 Τὸ τελευταῖον ἀπὸ ἀσσύρου τοῦ Σήμου Ασσυρία, ὡς Ξενοκράτης ἐν πρώτῳ χρονικῶν. Tam enim Thuras, quam Aſſur Semi Filius dicitur. Hinc ſecundum dialectorum varietatem non modo Turrheni, ſed etiam Turſeni, & Tyrſini paſſim noſtri dicti ſunt. Turſani apud Pindarum, atque hinc adiecto C Tuſcani apud Tatianum, & Clementem Alex., denique etiam Tuſcanienſes apud Plinium. Præterea Surreni, & Sorrinenſes invenimus in antiquis epigrammatis, quæ ſuo loco afferentur. Hæc mira videntur compluribus, ſed qui linguam græcam, & Hebraicam vel à limine ſalutarunt, optime ſciunt litterarum R, & *S* cognationem, & ת, & ש Exemplis rem pateſaciam, ut omnes intelligant. Haleſus Faleriis nomen dedit. Videant non ſolum S in R, ſed etiam H aſpirationem in F commutatam. Vulgo

nunc

nunc in G vertunt, & *Galeſe* ab Haleſo pronunciant, non à Gallis; ut putat Dempſterus. Præterea ab eodem Haleſo Faliſci dicti ſunt: Hic littera C etiam adſciſcitur. Sic à Thura Tuſcus, & Tuſcia mutata litera R in S, & adiecto C. Hoc etiam græcis ſolenne eſt: Ab *ἑυρέω ἑυρήσω* deducunt, & *ἑυρίσκω*: ab *ἀρέω ἀρέσω*, & *ἀρέσκω*, ātque alia bene multa. Quia tamen R ſæpe omittebant, ut ſupra ex Dempſtero adnotavimus, atque interdum uſurpabant, pro Tuſcus Truſcus legimus apud Plutarchum in parallelis 28, & apud Euſthatium in Dionyſii periegeſim. Sic Athurus, Etrurus, & Etruſcus. At Surrhenus pro Turrhenus clariorem habet cauſam, nam quemadmodum quà Athur, quà Aſſur dicebatur, ſic multi dempta prima littera, vel T retinebant, & Turrhenus, pronunciabant, vel S, unde Surrenus, & Surrenenſis habemus, quod corrupte à noſtris grammaticæ latinæ imperitis Sorrinenſis ſcribebatur. Neque quemquam moveat primæ litteræ aphæreſis Athur in Thur, vel Thuras: nam ſæpe hoc videmus in uſu poſitum. Qui Ægypti rex raphres eſt Hieremiæ C 44, Apries eſt Herodoto: Noſtra vulgata habet Ephree. Jeconias Conias כניהו dicitur ab eodem propheta C. 22. Qui Aram à S. Luca vocatur, Ram dicitur Paralip. l. 1 c. 2. Arimathtìa Urbs Ramathaim vocatur l. 1 Samuelis, ut notat S. Hieronymus. Hæc, ut ajebam, linguarum peritis nota ſunt: ſed quod addam à nemine video obſervatum; ab Athur, & Thura non ſolum Thuſci, & Turrheni, Turſani, & Tuſcani, ſed etiam Tyranni dicti fuimus. Nec immerito nam Athur, ſeu Thuras primus longe, lateque ar-

ma protulit, atque imperitavit, & noſtri Tyrrheni ab eo miſſi totam fere Italiam, aliaſque gentes ſubegerunt, ut ex Livio, Servio, atque ex Etruſcis monumentis undique ſparſis cognoſcimus. Capinna Urbs Tyrannica appellatur à Stephano Bizantino: Pythagoram neſcio quem ex Cortona nominat Laërtius l. 8, & hominem Tyrannicum vocat. Soſtrati librum Tyrannicorum laudat Stobæus Serm. 185 ἐν ψόγῳ ἀφροδίτης, quem Plutarchus librum Turrhenicωn appellat. Hæc Cluverius, Holtmannus, Berchelius, & Dempſterus corrigenda putarunt, & pro Tyrannico Tyrrhenicum ubique ſubſtituerunt. Confidenter ſane, ſicut ſæpe ſolent: Non animadverterunt tamen Turannos Etruſcos appellari ſolitos, quum hoc ediſcere poterant ex Verrio Flacco, ex Tzetze Chil. 8. p. 235, ex Svida, & Sophoclis Scholiaſte. Stephanus Verbo Τύῤῥηνία κατὰ ἀφαίρεσιν καὶ γράμματος πρόσθεσιν Etruſcos Turrannos dictos ait, non à crudelitate, ut quidam crediderunt. Non ſolum enim ante Trojana tempora Principes, & Reges Tyranni, & טורנין Chaldaice, ut notat Stephanus Morinus de lingua primæva c. 13 dicti ſunt; ſed multo poſt etiam, ut videmus apud Iſocratem, ut reliquos omittam, & Virgilium, quum uterque ſcribat de regibus optimis, atque humaniſſimis. Hæc quamvis moleſta, ac tœdii plena quibuſdam videantur, tamen quum res, tempuſque poſtulat, prætermittenda non ſunt, quum maximam lucem, atque utilitatem afferant. Sic joculares etymologias à græcis vocibus de Etruria, Turrhenia, & Thuſcia prorſus exploſas, & noſtræ gentis ab Aſſyriis, & Ludis originem non temere, ac divinantis in modum,

ſed

ſed ex ipſis grammaticæ legibus aſſertam habemus:

Sed quoniam Curetum mentionem fecimus, ac noſtrorum genus, originemque attigimus, viſum eſt hac in re paullo diutius immorari. Eos ab imbre ſatos jam audivimus, quorum antiquitas, quamvis ex iis, quæ diximus nota ſit, tamen addenda alia ſunt à paucis notata. Græci, qui ſe primos in omni genere jactitant, homines à Curetibus ſacra accepiſſe antiquiſſimis libris prodiderunt, ſic enim legimus in Hymnis Orphicis.

ὑμεῖς καὶ τελέτην πρῶτοι μερόπεσσιν ἔθεσθε
ἀθάνατοι Κουρῆτες....

Vos & Myſteria primi Mortales docuiſtis.
Immortales Curetes ...... quare operæ pretium erit videre ubinam potiſſimum Curetum, qui Corybantes, & Cabiri dicti fuerunt, cultus viguerit apud græcos eoſdem. Cicero l. 1 de Nat. De., Strabo lib. X, Heſychius, atque alii, quos refert Meurſius l. 4 Græc. Fer: in Samothracia præſertim, Lemno, atque Imbro horum ſacra fuiſſe celebrata teſtantur. At hæc loca noſtra fuiſſe quis neſciat? Hoc aſſerit Dionyſius l. 1. Antiq. ex Sophocle, & Thucide: hoc Strabo l. 5: hoc Apollonius argonauticῶn l. 4, & Polienus ſtratag. l. 7. Nos Porphyrium referemus, qui Pythagoræ patrem narrat fuiſſe Tyrrhenum ex iis, qui Lemnon, Imbron, & Scyron habitarunt. Quum res, tempuſque poſtulabit, oſtendemus Atlantem Italum Electræ patrem, Electram Dardani matrem, Dardanum Jovis, ſeu Coriti filium, ejuſque fratrem Jaſium, qui Cybelen uxorem duxit, in Etruriæ agro manſiſſe, atque inde petiiſſe Arcadiam,

Sa-

Samothraciam, & Phrygiam cum Curetibus, & Magnis Diis. *E*a Sacrificia antiquiſſima renovata demum ab Jaſio Corybantis patre tradit Diodorus Siculus, & Iſocrates à Cerere tradita Athenienſibus ſcribit in Panegyrico. Verum Homerus Odyſſeæ 5, & ipſe Diodorus Cererem ipſam narrant Jaſio nuptam; quod Cererem, ac Cybelem eandem fuiſſe argumento eſt. Hinc intelligimus cur nomen noſtrorum Lucumonum pro inſanis uſurpatum legatur, ut refert Se: Pompejus. Indecorum hoc nobis certe primo aſpectu videtur, ſed ſi quis conſideraverit verbum κορυβαντιάω, quod inſanire ſignificat, & Lucumones primos Curetas, & Corybantes extitiſſe, noſtræ antiquitatis, & hujus ſignificationis fores aperiet. Cybele, quæ apud nos culta fuit, & cujus adhuc non ſolum nomen, ſed etiam templi rudera in parte Viterbienſis agri durant, homines in furorem agebat, ut idem Feſtus teſtatur; quare ſi Cybelem, Corybantas, & Lucumones quodam inſaniæ nexu conjunctos videmus; nihil aliud ſignificat, quam ſaltationis, & ſtrepitus quoddam genus, quo Curetes in myſteriis utebantur, quorum nos genus ſumus, ut notavit Valerius Max:, & Virgilius Poetarum unus eruditiſſimus, atque in antiquitatum præſertim cognitione nemini ſecundus. Hic poſtquam Æneam in Curetum oras delatum l. 3 narravit Penates deos inducit ipſum, ut à Creta inſula diſcedat, atque Italiam petat, etiam atque etiam hortantes.

Mutandæ Sedes: non hæc tibi littora ſuaſit
Delius, aut Cretæ juſſit conſidere Apollo.
Eſt locus Heſperiam Graii cognomine dicunt,

Terra

Terra antiqua potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotri coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ ſedes: hinc Dardanus ortus,
Iaſiuſque pater, genus a quo principe noſtrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Coritum, terraſque require
Auſonias: Dictæa negat tibi Iuppiter arva.

ex cujus aureis carminibus primo Curetas, & Deos Penates non eſſe diverſos cognoſcimus, deinde ipſos apud nos habitaſſe, tandem Jaſium fuiſſe patrem Corybantis, ut etiam ex Diodoro attigimus, quod Virgilii interpretes maximi non ſatis intelligere videntur.

CAP. IV.

Etruriæ, ac Turrheniæ ſignificatio. Tota Italia Turrhenia dicta: Provincia à Tiberi ad Macram, ac demum noſtra Civitas.

ETruriæ nomen, ac præcipue Tyrrheniæ appellatio, qua potiſſimum græci ſcriptores uſi ſunt, ex uno loco, ac veluti ex una radice primo orta, magis magiſque late patuit pro temporum diverſitate, atque imperii magnitudine, ita ut utrumque mare, totamque Italiam complexa ſit: Nam Adriaticum ab Hadria Etruſcorum Colonia nomen habet, ut notat Livius non ſemel

mel. Quæ quidem quum Cluverius, Dempſterus, aliique erudite, ac cumulate veterum teſtimoniis illuſtrarint, ipſe in præſens tempus omittam. Colligam tantum pauca quædam, ne meum ſtudium hac in re deſideretur. Palæfatus Cap. 21 in Tyrrhenia Scyllam eſſe dicit: λέγουσι περὶ σκύλλης ὡς ἦν ἐν Τυῤῥηνίᾳ θηρίον τι. Pariter Ammianus Marc. l. 17 Vulcanum inſulam apud Tyrrhenos enarrat. Aeolus Tyrrheniæ Rex dicitur à Soſtrato l. 2 Tyrannicῶν in parallelis Plutarchi. Marcinam prope Poſidonium, & Cupræ Fanum prope Firmum noſtros ædificaſſe teſtis eſt Strabo l. 5. A Surrento ad Silarum amnem xxx millia paſſuum agrum Picentinum Tuſcorum fuiſſe refert Plinius l. 3 c. 5. Gens Volſcorum Etruſcorum poteſtate regebatur, ait Servius in l. xi, v. 567 Benaci undas Ludias appellat Catullus Epig. 32, ideo Bononiam Etruriæ principem vocat Plinius l. 3 c. 15, & Mantuam Tuſco de Sanguine canit Virgilius. Verum hac de re Scriptorum teſtimonia omittere poſſumus. Ab alpibus uſque ad fretum Siculum ſicut imperium tenuerunt noſtri teſte Servio, ſic in tota Italia clariſſima, atque indubitata undique argumenta, inſcriptiones dico Etruſcas, quiſque videt, quod etiam nuper optime adnotavit Claris: Scipio Maffejus p. 207 de Ital. Primit. Stephanus præter Urbes, quæ apud nos eſſe certo creditæ ſunt, Tyrrhenicas quoque appellat Ἀλπείαν, Ἀτρίαν, Βρέττον, Νούκριαν, Οἴναν, Ὀκρίκολαν, πικεντίαν, πλούτιον, πουτιόλους, συέσσαν, στυρέντον, Τουδέρταν: præterea Ῥέτους, καὶ μέταον extra Italiam. Niceam in Corſica à Tyrrhenis conditam ſcribit Diodorus Siculus l. 6. Jolaum quoque in Sardiniam

diniam veniſſe, ibique habitaſſe cum Tyrrhenis τὴν νῆσον ἔχουσι βαρβάροις notat Strabo l. 5, & Silius Italicus l.xi i, quamvis irrideat Cluverius. Tarraco Tyrrhenica dicitur ab Auſonio, notatque Cl: Bochartus nomen ab eadem radice habere cum Tarchonia, ſeu Tarquinia. Nil dicam de Betulone in locis iiſdem. In proximo Aquitanico, ac Narbonenſi tractu tam alte ſunt Etruſcæ potentiæ impreſſa veſtigia, ut Cap.27 ex Strabone, aliiſque videbimus; ut non modo antiquitatem noſtræ Urbis, ſed nominis etiam, ac latisſimi imperii cuivis etiam ἀπιςοτάτῳ me perſuaſurum ſine aliis monumentis pollicear. Lemnon, Imbron, aliaque oppida præſertim in ora Thraciæ, ubi Tyrrhenos διγλώττους i *bilingues* extitiſſe teſtis eſt Thucidides l.4, poſſediſſe noſtros, Athenas, & Cretam diu incoluiſſe, cum Carthaginienſibus iniiſſe Societatem, & trans fretum Herculeum penetraſſe ex Diodoro Siculo, aliiſque notum eſt, immo in Americam deſtinaſſe Coloniam Cluverius affirmat. Turrhenos cum Argonautis pugnaſſe narrat Athenæus l. 7. Potisſimum potentiæ argumentum, ac principatus Athenienſis Urbis affert Iſocrates in panegyrico, quod aliæ Urbes illi ſupplicarint: at Cacus, ut habet Solinus c. 2, legatus ad nos Marſiæ Regis venit, ut pro eo regnandi poteſtatem peteret. Turnus, Rutulique diffidentes rebus ſuis ad florentes, ut ait Livius, Etruſcorum opes confugerunt, ut Æneam prætermittam, & Samnites, quod refert idem Livius l. x c.xi. Romulus contra hoſtes à noſtris auxilium popoſcit non ſemel: Sciebat enim Romam à ſe potius reſtauratam, quam con-

ditam, ideo Dionyſius Hal. Tyrrhenicam etiam dictam refert, non ob vicinitatem, & ſcriptorum imperitiam, quod etiam de Latinis, Umbris, Auſonibus ϗ περὶ συχνῶν ἄλλων. i *aliis multis* dicendum idem auctor putavit, qui Tyrrheni ſæpe ab Antiquis Græcis dicuntur; ſed propter ampliſſimum, ac terra marique undique prolatum imperium, ideoque Plutarchus problematum c.17 Romanos Etruſcis tributum pependiſſe ante Herculis adventum teſtatus eſt. Nec mirum noſtros vires tam late extendiſſe: Etruria enim, ut videre eſt apud Cenſorinum de die Natali, antequam Romanorum fatis cederet, per decem, & amplius ſæcula floruerat, quod ex Ritualibus noſtris octavo Sæculo ſcriptis, atque ex antiquiſſimis hiſtoriis Varro adnotaverat.

Sæpiſſime vero Etruriæ, ſeu Turſeniæ vox pro tractu, qui à Tiberi ad Macram, ac Mare inferum extenditur, uſurpatur, cujus ſignificationis exempla omnibus nota, atque obvia prætereunda eſſe arbitror, quamquam in hac ſignificatione cum adſpiratione opinor fuiſſe interdum uſurpatam, in eaque nos quoque eadem ſcriptura utemur claritatis gratia, ut ex Lucenſi Epigrammate diſcimus apud Reineſium Claſ.3 p.330

AVGVSTO LIBERTATI NATIONVM
ORBIS ROMANI
ISTITUTORI LIBERTATIS HETRUSCÆ REIP. &c.

quanquam hoc minime neceſſarium ſit, quum ſciamus alias Urbes cum tota provincia ipſiſſimum nomen habuiſſe, ut de Samnio teſtatur Paullus Diaconus l. 2 de

Ge-

Geſtis Langobardorum. *Vrbes Theate*, *Auſidena*, *Iſernia*, *& antiquitate conſumpta Samnium*, *a qua tota provincia nominatur*, quod intellexit Florus l. 1 c. 16 Cum Samnium in ipſo Samnio requiri memoriæ prodidit.

Non raro Regionem, ſeu agrum certum ſignificat: Etruriæ regionem refert Valerius Ma: l.4 c.5, & Livius l.9 c.25, & lib. 10 c.15. De Turrheno Servius in librum primum Æneidos, *Cujus filius Tuſcus*, inquit, *cum populo evaſit in regionem Tuſciam*. Hinc S. Gregorium Civibus Tuſciæ mandaſſe, ut contra Langobardos arma pararent Decre: Cauſſ: 23 quæ: 8 Cap. *Vt pridem*, notat Jannottus Tuſcanellenſis in MSS. & Vitalianus ſe Epiſcopum τῆς Εκκλησίας Τούσκης Eccleſiæ Tuſcæ appellat in Græca editione Cam: Apoſt. 1602. Conc. v 1. ſub Agathone ſeſſ.4, & in Cod. MSS. Vat. n. 834 pag. 46. Regio enim proprie tractum aliquem alicujus populi ſignificat. Cicero pro Cluventio *Regionem Municipii Larinatis* habet: Haleſinam *regionem* Solinus Cap. 11. Campos inter Feſulas, & Arretium *regionem* Livius l.32 c.3, & Dionyſius l. 2 Antiq. Septem pagos eodem modo appellarunt ἑπτὰ πάγους χώραν. Ea de cauſſa apud Livium, alioſque veteres frequentiſſime legimus Agrum Vejentem, Capenatem, Faliſcum, Cæretanum, Nepeſinum, Sutrinum, Tarquinienſem, Vulſinienſem, Coſanum, Ruſellanum, & Sentinatem: eodemque pacto ex altera Tiberis parte, atque apud alios Italiæ populos uſurpatum videmus: nam quum in provincias nondum diviſa fuiſſet Italia, ab uniuſcujuſque Urbis nomine loca potiſſimum diſcriminabantur, ut notat etiam Varro l. 4 L.L. *Vniverſum Latii Agrum particu-*

latim cognominatum a Præneſte Præneſtinum, ab Aricia Aricinum. Etruriam igitur quum audimus locum à reliquis diverſum intelligere oportet, atque in plura oppida diviſum, ſicut vicinus ager Faliſcorum: hinc in Tuſcis, & in Faliſcis legimus numero multitudinis. Immo Civitas ipſa Etruria, Tuſcia, & Turrhenia dicebatur. Audiamus Stephanum, qui ex profeſſo de Urbibus ſcribit. ἔςι Τ'ῤῥηνία πόλις, ἣ λέγεται ϗ Τυῤῥήνη, ϗ Τυῤῥηνοὶ οἱ πολῖται. 1. *Eſt Etruria, ſeu Turrhenia Civitas, quæ dicitur & Turrhena, & Turrheni Cives.* Hunc Scriptorem non vidit Annius, ſicut nec Marcianum Heracleotem, ſeu potius Scymnum Chium, qui à Turrheno Lydo illam conditam teſtatur. Τυῤῥηνίαν ὁ λυδὸς ἄτυος ἔκτισε Τυῤῥηνός. 1. *Turrheniam Turrhenus Lydus filius Atyos ædificavit.* Hellanicus vetuſtiſſimus Scriptor apud Dionyſium Hal. l. 1 Antiq. poſt Cortonam conditam fuiſſe aſſerit. Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον, ϗ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν. 1 *Cortonam Vrbem in mediterraneis ceperunt, atque inde profecti quam nunc dicunt Tuſcaniam condiderunt.* Plinius etiam l.3 c.5 cum Tarquinienſibus, Vulſinienſibus, aliiſque Tuſcanienſes quoque recenſet. Ex his intelligere quiſpiam poterit, quid ſibi velit Maximianus ille Senex, cujus elegiæ ſub Cornelii Galli Forojulienſis falſo nomine vulgatæ ſunt.

Ergo his ornatum meritis Etruria noſtris
Optavit natis me ſociare ſuis.

Hunc enim in Hetruria prope Tiberim natum notat Ill. Juſtus Fontaninus in Bibliotheca MSS. Aquilejenſ,

atque

atque ex ejus carminibus clariſſime colligitur, ſed illum Viterbienſes Civitate donare ſummopere expetebant.

CAP. V.

Locus Livii, Lapides Antiqui, aliique Scriptores expenduntur de Topographia Agri, & Civitatis Etruriæ.

VErum, quum multis hæc bene nota non ſint, timeantque plerique loca incognita adire, T. Livius dux erit, ac noſtræ Etruriæ regionem certis limitibus metabitur. Is poſt Vejentes, Sutrinos, & Nepeſinos Etruriam locat: nam de Nepet, & Sutrio loquens: *Cum ea loca*, inquit, *oppoſita Etruriæ, ac veluti clauſtra, portæque eſſent* l.6 c.6 & l.9 c.23 edit. Sem. Patav. At quidam ex novis Ariſtarchis præeunte Vincentio Borghinio irridet, atque ad Architæ crepitaculum, puerorumque ludum remittit, ut grammaticam ediſcant illos omnes, qui hinc Etruriæ Civitatem extitiſſe colligunt: Ex Livio illam inquirere idem eſſe, ac nugas agere, atque in lingua latina infantem eſſe: Clauſtra Etruriæ Nepet, & Sutrium dici, quod ea tempeſtate deletis jam Veiis nulla alia Urbs Etruſci nominis à Cimino ad Janiculum amplius extaret, atque à Sutrio, & Nepet quodammodo Hetruria arctata citra Ciminum clauderetur. Verum quoniam latine Borghinius nos ſcire negat, breviter reſpondemus cum grecis:

cis: Nugabatur ne Stephanus, quum Tyrrheniam Urbem eſſe ſcripſit? Ludebat Halicarnaſſeus, qui poſt Crotonem, ſeu Cortonam, Scymnus Chius, qui à Turrheno illam conditam narrant? Ludebat ne Antiſtes noſter, quum in Epiſtola S. Agathonis ad Synodum VI Coſtantinopolitanam cum Agnello Epiſcopo Vulſinienſi, Cuſtodito Valentanenſi, & Theodoro Cluſino, aliiſque finitimis βιταλιανὸς τῆς Ἐκκλησίας Τούσκης. i Vitalianus Epiſcopus Eccleſiæ Tuſcæ ſubſcripſit? Erant ne pueri, ſciebant grammaticam? Caveant adverſarii ne ipſi pueriliter faciant, qui ea de cauſſa Clauſtra Etruriæ Nepet, & Sutrium dici opinantur, quod poſt Vejorum Cladem Etruriæ limites ad Ciminum redacti ſint. Falſum hoc, ac vere infans reſponſum. Poſt Vejentium etiam occaſum ea pars retinuit Hetruriæ appellationem; Livius enim cap. 8 l.7 inſequentis hæc habet. *Tarquinienſes fines Romanos maxime qua parte Hetruriæ adiacet peragravere*, & cap. 11 *Faliſci, Tarquinienſeſque Conſulem Ro. prima pugna fuderunt ..... in bellum Hetruſcum intentam Civitatem ob metum a Cæritibus*. libro 10 cap. penul. *Bellum Faliſcis indictum, juſſique Conſules ſortiri uter ex Samnio in Hetruriam cum exercitu tranſiret.* & paucis interiectis. *Inter hæc Carvilius Conſul in Hetruria Troilium oppugnare adortus Faliſcis pacem petentibus annuas inducias dedit.* Minime igitur verum eſt poſt quam Romani Veiis, aliiſque oppidis finitimis potiti ſunt, ſolum eum tractum, quem tranſciminium dicunt Hetruriam fuiſſe appellatum: quod etiam in mentem venit Cl: Famiano Nardino par. 1 Antiq. Vei. Quod autem reſpondebunt ad hunc Livii locum l. 2

cap.

cap. 28 *Vjentes ex Etruria accito exercitu*? Stabant tunc Veii, aliæque Hetruſcæ Urbes citra Ciminum? At Etruria unde exercitus petebatur ubi ſita erat? Si unus aliquis ex Borghinii popularibus hæc, aut ſimilia modo ſcriberet - *Florentini ex Hetruria accito exercitu*, quis non rideret? Livius alibi quum accire exercitum dixit, ex uno loco in alium intellexit l. 4 cap. 18 *Trajecto Tiberi Vejentes Fidenas tranſtulerunt bellum. Romæ terror ingens accito exercitu ab Veiis*. Vel igitur in ſuperioribus exemplis Etruria pro Civitate intelligenda eſt, ac pro loco certo, ac definito, vel Vejos extra Tiberis, & Macræ limites ponendum. Alia multa mecum faciunt: Sic Tyrrhenos cum Caeretanis, ſeu Agyllinis bellum geſſiſſe narrat Strabo l. 5. Sic quoque cum noſtri Nepet, & Sutrium, quæ oppida in Romanorum poteſtate erant, occupaſſent, Camillus & obſidione cinxit, & ſuperavit: *tum Nepeſinis imperatum, ut ſecernerent ſe ab Etruſcis, parcique juſſum inermi*, ut ſcribit Livius l. 4 cap. 6. Locupletiſſimum præterea teſtimonium hac de re habemus apud Dempſterum l. 4 cap. 44 Etrur. Reg., & alios.

VEJOS POST URBEM CAPTAM
COMMORARI PASSUS NON EST
ETRUSCIS AD SUTRIUM DEVICTIS
ÆQUIS ET VOLSCIS SUBACTIS
TERTIUM TRIUMPHAVIT

Idem Camillus verba faciens apud Livium l.6 cap.5 Etruriam à Faleriis, & Veiis diſtinguit, atque hanc inſcriptionem mirifice illuſtrat. *Ut Falerios, Vejoſque captos,*

& in

& in capta patria Gallorum legiones cæſas taceam, me duce triplicem triumphum ex his ipſis Volſcis, & Æquis, & ex Etruria egiſtis. Quum Q. etiam Fabius Ciminium invium id temporis Montem ab Sutrio aſcendiſſet, *Poſtero die* (inquit idem l. 9 cap. 35) *luce prima juga Ciminii montis tenebat: inde contemplatus opulenta Etruriæ arva milites emittit*. Paullo ante cap. 18 Faliſcos à noſtro agro dividit: *alii duo exercitus haud procul Urbe Etruriæ oppoſiti alter in Faliſco, alter in Vaticano*. Hiſce exemplis preſſi quidam, inter quos Antonius Maſſa de Origine Faliſcorum, ad aliud reſponſum confugiunt, totam nempe tranſciminiam partem ad Macram uſque præcipuo quodam nomine, ac jure Etruriam appellatam, quamvis à Tiberi, ac Janiculo Hetruria inciperet. Sed falluntur in omnes partes: nam non ſolum Dionyſius Cortonam, Tacitus Ferenti Urbem, Plinius Piſas, Umbronem, & Telamonem, & ipſe Livius Cluſium ab Etruria clariſſime dividunt, ut mox videbimus; verum etiam hic poſtremus à Tarquinienſibus, & Vulſinienſibus, & finitimis agris diſcriminat. Eodem enim libro Q. Fabio continuatum conſulatum narrat *ob egregie perdomitam Etruriam*; at inſequenti anno Decius cum Tarquinienſibus, Vulſinienſibus, aliiſque bellum geſſit, & paucis annis poſt ex his, & Vulcia, ſeu Ολκίῳ, ut ſcribit Stephanus, triumphum recenſent Lapides Capitolini.

.... CIUS Q. F. Q. N. PHILIPPUS AN. CDLXXII.
.... EX ETRUSCEIS K APRIL
..... CANIUS T.F.T.N. COS. AN. CDLXXIII.
..... ULSINIENSIBUS ET VULCIENTIBUS

Iidem

Iidem lapides Vejentes, Tarquinienſes, Faliſcos ſæpe triumphatos referunt. Univerſa igitur Hetruria in exemplis allatis intelligi non poteſt. At iterum Borghinii Patronus hiſce percuſſus lapidibus Etruſcos poni clamat non pro unius Civitatis populo, ſed pro Communi Tuſcorum Rep:, Vulſinienſes vero, alioſque poni ſingillatim, quod propriis viribus non communibus XII reliquarum Urbium ſumptibus bellum publicum geſſerint. Vah quantum acuminis, & ſubtilitatis! Quis non miretur hunc hominem tabulas accepti, & expenſi, quas in eo bello Vulſinienſes confecerunt, habere, & intelligere? Seu ut melius dicam, quis non ſtupeat adverſarios à Viterbienſium monumentis, quas ij fabellas vocant aniles adeo agitatos, ut neſciant quò confugiant? Quinque hiſce Livii Verbis: *Vejentes ex Etruria accito exercitu* adeo fuſos, fugatoſque, ut locum non inveniant, in quo conſiſtant? Sed ut linguam latinam nos ſcire oſtendamus, percurramus reliqua. Livius idem l. 6. cap. 3 Romanum exercitum in Tarquinienſium agrum ductum ſcribit, ibique *oppida Etruſcorum Cort-Noſſa, & Cort-Enebra vi capta, & diruta.* Quorſum iſtæc Tarquinienſium ab Etruſcis diſtinctio? Nempe ut notum eſſet inter Tarquinienſium, noſtrumque agrum diſcrimen, atque ea duo oppida pro illis populis quidem ſtetiſſe, ſed in ditione, ac finibus Etruſcorum prope lacum Vulſinienſem: hic enim & illorum, & noſtrum agrum alluebat, & ideo Tarquinienſis lacus dicitur, quod notavit Cluverius, utiturque auctore Vitruvio l. 2. cap. 7, & Plinio l. 36. cap. 22, ubi hæc habet: *Albi ſilices in Tarquinienſi Anicianis lapidicinis*

pidicinis circa lacum Vulſinienſem: à Deſiderio vero Vetulonienſis dicitur, ut videbimus, quia hi tres agri finitimi erant. Hinc optime Jul: Obſequens, ſeu Lycoſtenes de prodigiis p. 123 edit: Colon: 1549. *C. Mario Coſ. In Vulſinienſi flamma è terra orta .... In Tarquinienſi lactis rivi, ... in Tuſcis lapidibus pluit*. Multo poſt Chriſti Dom: quoque adventum, quum de Epiſcopis noſtris agemus Tuſcaniæ Territorium Polimartienſi, Hortano, Sutrino, Blerenſi, Tyrrheno mari, atque Orbetanis finibus circumſcriptum ex vitis Pontificum, quas Anaſtaſius edidit, demoſtrabimus, aliiſque monumentis certiſſimis. Nunc unum M. Tulium audiamus Philip. XII prope finem, ubi non ſolum viam Caſſiam, ſed etiam Etruriam ab Aurelia, & Flaminia ſejungit: *Tres viæ*, inquit, *ſunt ad Mutinam à ſupero Mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Casſia ... Etruriam diſcriminat Caſſia: Scimus ne igitur, quibus in locis ſit Lentonis Ceſenii Septemviralis auctoritas? Nobiſcum nec animo certe eſt, nec corpore. Si autem domi eſt, aut non longe à domo, in Etruria eſt, ideſt in via ... Poſſum Caſſiam vitare, tenere Flaminiam. Quid ſi Anconam, ut dicitur Ventidius venerit? Reſtat Aurelia: Hic quoque etiam præſidia habeo: poſſeſſiones enim ſunt P. Clodii, tota familia occurret, hoſpitio invitabit propter familiaritatem notiſſimam*. Ironice loquirur Cicero, oſtenditque his viis ſe non poſſe tuto committere. Animadvertant tamen lectores etiamſi & Clodia, quam Aureliam propter conjunctionem, & vicinitatem vocat Tullius, & Flaminia noſtram Hetruriam ſecent; ſolum tamen Orator

in

in Etruria eſſe affirmat Caſſiam, quia Viterbienſem agrum etiam nunc diſcriminat, & noſtram Civitatem, ubi Lento Ceſenius habitabat.

CAP VI.

Etruriæ pars Umbria dicta: Cluſini Camertes appellati contra noſtram Civitatem conjurant. Livius, Plinius, Scymnus illuſtrantur.

LOngus ſim ſi ſingula perſequar: Sed quoniam ipſi adverſarij ad Ciminum Montem Etruriæ Clauſtra, ac limites fixerunt, videamus an præter Vulſinienſes, ac Tarquinienſes aliis terminis noſtrum agrum ex aliá parte definire poſſimus, ut magis magiſque in aperto ſit noſtræ Civitatis populos Etruſcorum nomine fuiſſe deſignatos. Sæpe Livius idem Tuſcos, ſeu Etruſcos ab Umbris diſtinguit, & refert inter alia l. 9. cap. 25 duo ex Romanorum exercitu juga Cimini intraſſe, atque ad Camertes Umbros penetraſſe, quod narrat etiam Frontinus l. 1 Stratag. cap. 2: deinde totum per juga Cimini traductum exercitum adeo, ut metu in magno Roma fuerit, ne ab Tuſcis, Umbriſque conſul cum exercitu opprimeretur: additque paullo poſt hac expeditione motum latius bellum fuiſſe: vaſtationem namque ſub Cimini montis radicibus jacens ora ſenſerat, conciveratque indignatione non

Etruriæ modo populos, ſed Umbriæ finitima. Qui Livium ſe intelligere jactant de Umbria, quæ trans Tiberim eſt, ubi Iguujum, Mevania, Ameria, Tifernum, aliæque Urbes ſunt, intelligunt: Sed aberrant tota via: Umbriæ populos intelligit auctor, quos non longe ab jugis Ciminiis, Tyrrheni Maris litus, & finitima loca Cortonam uſque incoluiſſe certum eſt, & quamvis poſtea à Pelaſagis migrare inde coacti fuerint, ut legimus apud Plinium l.3 c.5, tamen & nomen multis locis, & certa ipſorum veſtigia relicta ſunt, ut notat Cluverius l.2 Ital. Antiq. Cap. 2: Camertes vero qui fuerint, ut alios taceam, docet ipſe Livius l. x. cap. 12 *Cluſium, quod Camers olim appellabatur*, quod & notavit Sigonius in notis ad eundem: ex quo videmus Cluſinos fuiſſe Camertes noſtræ Umbriæ. Et certe qui fieri poterat, ut notat Dujatius ad uſum Delphini p. 771 in Livium, & Dinus de Antiquitatibus Umbrorum, aut quis ſibi ſuadeat, quum bellum cum noſtris gereretur, & duo juvenes Ro. ad explorandas hoſtium vires ex Sutrio miſſi eſſent, ſuperaſſe Tiberim, tam longe abiiſſe, atque ad gentes trans Ameriam, Interamniam, Spoletium, Nuceriam prope Septempedanos, ubi Camerinum eſt, quibuſcum negotii nihil erat, penetraſſe? At Romani dicet aliquis, opem quærebant: apud reliquos non invenerunt, imo viderunt iratos. Scilicet Amerinis, & ceteris curæ erat Etruriæ Regio, ut quum antea vidiſſent Faliſcum agrum multo viciniorem à Romanis captum, & vaſtatum, ipſos Sabinos propinquos toties laceſſitos injuriis, & bello victos; nec commiſeratione propinquorum

rum, nec conſanguineorum, (quod ex Varrone diſcimus l. 4 LL.) caritate, nec proprio periculo commoti fuerint; tamen indignati ſint, atque exciti ſint ad arma propter Tuſcorum diſcrimen, à quibus jam trecenta ipſorum oppida diruta fuiſſe teſtatur Plinius l. 3 cap. 14. Livius quidem repentinam defectionem Umbrorum, ſeu Populorum, qui vere in Umbria ſunt, & Fabii Conſulis ad Mevaniam adventum inſequenti anno deſcribit: prius igitur hi Umbri non defecerant, nam vere erant integri à cladibus belli, & ſolum cum noſtris Umbris acie depugnatum fuerat. Non Annii libros proferimus, non illius ſcriptores adhibemus teſtes: Livius, qui latine loquitur in manibus eſt: Is poſt deſcenſum Romanorum ex Cimino, poſt pugnam cum noſtris, atque finitimis Vmbris ad noſtrum lacum Vadimonis ſic ſcribit l. 9 cap. 30: *Tranquillas res cum Etruſcis turbavit repentina defectio Vmbrorum gentis integræ à cladibus belli*. Ergo ab his Vmbri noſtro agro finitimi diverſi erant. Quæ etſi jam luce clariora ſint, tamen aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmabuntur, agmenque ducet Plinius, qui non longe à Coſa Vulcientium Colonia in Hetruria Vmbronem fluvium navigiorum capacem ponit l. 3. cap. 5, atque *ab eo tractum Vmbriæ, portumque Telamonis*: In hanc rem etiam videri poteſt Dionyſius, qui libro primo Antiq. à Græcis Cortonam occupatam, eamque Vrbem in Vmbria eſſe dicit non ſemel, & Cortonenſes Vmbros appellat, quod mirum eſt latuiſſe Dempſterum, alioſque doctiſſimos Viros. Quin noſtra Civitas in hac ipſa Vmbria condita eſt,
ſed

ſed Vmbris pulſis, eaque ad ſummam potentiam evecta Etruriæ nomen prævaluit. *E*xtat etiam nunc locus prope Tuſcanellum, qui Sale-Vmbrone dicitur, ut teſtatur non ſolum Annius, ſed etiam Franciſcus Jannoctus Tuſcanellenſis in MSS., ſed audiamus Scymnum Chium.

Τυῤῥηνίαν ὁ λυδὸς ἄτυος ἔκλισε
Τυῤῥηνὸς ἐπὶ τοὺς ὀμβρικοὺς ἐλθὼν πολε. I.
Tuſcaniam Lydus filius Atyos condidit
Turrhenus, quum ad Vmbros veniſſet quondam.

Herodotus idem affirmat in Clio aſſerens Τυρσηνοὺς ἀποίκεσθαι ἐσ ὀμβρικὺς I. *Turſanos veniſſe ad Vmbros*. Etruria igitur nomine tenus ab Vmbris vicinis diſtinguebatur, adeoque populi indignatione conciti deſcenſu Romani Conſulis ex Cimino noſtrates erant, atque ab Vmbris finitimis diſcriminabantur ex Livii ſententia. Hinc etſi *κλίζειν Τυῤῥηνίαν* pro eo, quod eſt Vrbibus conditis habitatum reddere quis explicare velit, explicet ſane. Nam ſi Pelaſgi ſecundum Hellanicum, quem retulimus Capite ſuperiore, Cortona, ſeu Crotone profecti Tyrrheniam habitarunt; Cortonam in Tyrrhenia, ſeu Etruria proprie non eſſe fatendum eſt: quæ quidem omnia maxime illuſtrant quod Herodotus ſcripſit *ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν* ſupra Etruſcos Cortonam Vrbem exiſtere, qnod non parum negotii Cl. Scipioni Maffejo libro de Italis primitivis p. 244 faceſsit, atque eo collineant, ut Etruriam ad Ciminum extitiſſe non ſolum graphice deſcribant, ſed veluti admoto digito demonſtrent, ac minime mirum ſit, ſi Cortonenſes

Ser-

ſermonem Dionyſius Halicarnaſſeus Antiquit.libro primo, Faliſcos, & Cæretanos Strabo libro quinto diverſum à noſtris habuiſſe teſtentur.

Sed iam cum Tuſcanellenſibus res nobis eſt: Nam Tuſciam, ſeu Etruriam ſuam Regionem eſſe contendunt, atque inter multa, de quibus affatim poſtea, Livium proferunt, qui frumentum in ſumma annonæ Caritate Romam Tiberi ex Etruſcis veniſſe ſcribit l. 2 cap. 10. Tiberi venit, inquiunt, quia ab agro Tuſcanellenſi frumenti feraciſſimo, qui Mari finitimus eſt, navibus uſque ad Oſtiam, atque inde per flumen in Vrbem fuit allatum. Hinc concludunt Tuſcos, atque Etruſcos ſe, non Viterbienſes eſſe, qui frumentariæ rei parum, maritimæ oræ nihil habent. At nos per Tiberim ſolum miſſum frumentum reſpodemus, qui noſtro Agro proximus eſt, quia nunc quoque, etſi non tam aptus ſit ferendis navibus, quam antea, Vicumorclaneſes, Oſyrianenſes, Polimartienſes, Ortani, aliique non ſolum triticum, ſed vinum, lignorum, aliarumque rerum maximam vim tranſmittunt: trabes, atque alia id genus ex noſtræ Palenſanæ Monte ſcimus ſæpe edvecta. Verum quidem eſt illorum agrum eſſe maxime fertilem, ac navibus commodum, ſed iis temporibus Tarquinienſium erat: ſatis nunc ſit illud Livii *Colonia Graviſcæ deducta eſt in Agrum Hetruſcum de Tarquinienſibus captum*. Ut clarius autem noſcant neque ex Tarquinienſi veniſſe, ſed ex noſtro Agro, adeoque per Tiberim tantum; animadvertant eo tempore Tarquinienſes Romanis fuiſſe infenſiſſimos propter ſuos Tarquinios ejectos. Imo cum

Cumis

Cumis frumentum fuiſſet coëmptum, Ariſtodemus Tyrannus pro bonis eorum retinuit. Fames denuo, ut narrat Livius, Vrbem invaſerat cum peſtilentia, qua multo gravior fuiſſet, triſtiorque, ni dimiſſis circa omnes populos legatis, qui Tuſcum mare, quique Tiberim accolunt, annonæ foret ſubventum: *Maximos commeatus ſummo Etruriæ ſtudio Tiberis devexit*, inquit ſimiliter l. 4 cap. 29. Hic & Mare, & Tiberim Hiſtoricus diſtinguit: at ab Etruſcis dumtaxat per flūmen ſcribit fuiſſe ſuccurſum, à mari ſolum à Siculis: Etruria igitur proxima Tiberi fuit: quare multo melius noſtris, quam Tuſcanellenſibus hic ſenſus accomodatur.

CAP VII.

Etruriæ Regio vicatim habitata: XV Populi fuerunt ex duobus Epigrammatis apud Gruterum, & Reineſium: Horum populorum nomina tentata.

PRofecto ſi duodecim Coloniæ Tuſcorum fuerunt, ut ex tot Scriptoribus conſtat, primam, quæ veluti ceterum Mater, ac caput erat, fateri neceſſe eſt, ſicut de Felſina, ac Capua jam eſt adnotatum. Hanc apud nos extitiſſe Viterbienſes omnes contendimus. Jam Etruriam ſub Cimino monte, atque Etruriæ populos ibidem ex Livio

Livio vidimus. Verum noſtra hæc patria non una Vrbs erat, ſed plurium Vrbium, ſeu oppidorum collectio communione ſociata, quæque in unam Civitatem coaleſcebat: hac de re habemus teſtimonium Strabonis appoſitiſſimum. Is inter Vulſinium, & Sutrium, Bleram & Ferentum l. 5 πολίχνας συχνάς i. *Urbes parvas*, *&* *crebras poſuit*. Cluverius quamvis caput ſcaberet, & vivos ungues roderet, quæ forent non intellexit, faſſuſque eſt ingenue de iis Vrbibus Ferento, & reliquis πολίχνας συχνάς dici, aut intelligi non poſſe, quum ſingulæ multis millibus paſſuum inter ſe diſtent, nec parvæ, ſed magnæ forent. Imo ipſi, ſicut etiam Dempſtero abſurdiſſima viſa eſt Annii opinio, qui ex pluribus oppidis noſtram Civitatem conflatam deſcripſit. Verum non legerunt hi ſcriptores ceteroqui oculatiſſimi, quæ Dionyſius habet l. 1. Antiquit., quum de Oenotro, & de occiduo latere Italiæ ſcribit. Nempe ὤκισε πόλεις μικρὰς καὶ συνεχεῖς ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν. i. *Condidit Urbes parvas*, *&* *vicinas in montibus*: non legerunt, aut ut liberius loquar, non intellexerunt quod addit ὥσπερ ἦν τοῖς παλαιοῖς τρόπος οἰκήσεως συνήθης i. *quod in more poſitum erat apud antiquos*. Revera in Vmbria quoſdam ſic habitaſſe ex veteribus Epigrammatis certum eſt: Sabini quoque unum agrum ſatis anguſtum oppidatim coluerunt. Cæſar l. 1. B. G. c. 12. *omnis* inquit, *Civitas Helvetiæ in quatuor pagos diviſa eſt*. Sed ut hos omittamus, ſolas Athenas à Turrhenis noſtris habitatas, ut Græci ipſi teſtantur, in præſentia exhibeo, quas quadrurbem Se: Pompejus, & Tetrapolim Euripides appellavit. Quis ignorat illas à

principio κατὰ κώμας καὶ σποράδην i. *vicatim, & ſparſim*, ut ait Iſocrates in Helenæ panegyrico, ſeu κατὰ πόλεις. i *oppidatim*, ut Thucidides teſtatur l.2, fuiſſe diviſas? Duodecim oppida totum Athenienſem agrum occupaſſe teſtis eſt Strabo, illaque enumerat diligenter l.9, atque inter has tetrapolim locat, quæ poſtea Theſeus in una mœnia collegit, ubi ἀκρόπολις pridem extiterat. Hanc πολιτίαν, ſeu morem à noſtris didicerunt Athenienſes, noſtri ab Aſſyriis: Teſtatur enim Plinius l.6 c.26. *Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit vicatim diſperſa præter Babylonem, & Ninum. Macedones eam in Vrbem congregavere.* Etruriæ igitur noſtræ regio diu hunc morem tenuit, ac quindecim populos habuiſſe ex inſcriptione Vulſinienſi apud Gruterum p.385 indubitatum eſt.

IN ITALIA VOLSINIENSIVM PATRIAE SVAE ITEM FERENTI ET TIBVRTIVM
ITEM COLONIAE ITALICENSIS IN NOVA PROVINCIA BAETICA
PRAETOR ETRVRIAE XV POPVL. SACERDOTI CAENINENSIVM M. HELVIVS
M. F CLEMENS ARNENSI DOMO CARTHAGINE PRAEF. EQALAE
PRIMAE CANNEFATVM PRAESIDI SANCTISSIMO ET RARISSIMO CVR
AM AGENTE L. ACONIO CALLISTO TRIB MIL LEG GEM
SEV . . . .

Quidam *Prætor Etruriæ XII. populorum* legendum opinati ſunt, & belliſſime quod non intelligebant de more emendarunt. Verum hic non de duodecim Coloniis Etruſci Imperii ſermo eſt, quod jam interierat; ſed de noſtra Civitate, quod ſatis ſuperque indicat diſtinctio à proximis Vrbibus Vulſiniis, & Ferento: Non Annii ſcripta proferimus: non ab eo quæ dicimus mutuamur. Hæc ille non vidit in illa librorum penuria, nam illius ætas typographicam artem tulit. Aliud extat Epigramma, quod

quod refert Reineſius Claſ.7. 114, ubi pariter PRÆTOR ÆTRVRIÆ XV POPVL. legitur, quare qui emendatione opus eſſe contendunt, ij potius emendandi ſunt. Hinc intelligimus illud Taciti l.4.Annal.*Sardiani decretum Etruriæ recitavere, ut conſanguinei*. Etruria, quæ decretum confecit, noſtra Civitas eſt. Nam Cære,ſeu Agyllam, Alſium, Saturniam, & Piſſam his proximam (Peſcia nunc dicitur illius ager ampliſſimus Graviſcis conterminus) à Pelaſgis Theſſalis, atque Aboriginibus fuiſſe habitatas teſtatur Dionyſius l.1 Antiq. Strabo addit etiam Regis Villam Maleoti Pelaſgi prope Coſam. Faliſcos ἰδιογλώσσους, ut teſtatur Strabo ipſe, ab Haleſo ortos nemo unus ignorat.Piſas ab Elide deductas ſcribit Virgilius, Plinius, Numatianus cum eodem Strabone, adnotantque poſt bellum trojanum ædificatas. Phocenſes quoque ad oppidum, quod Focecchium nunc vocant, duxiſſe colonias ex Herodoto, aliiſque colligimus. Cluſium, Cortonam, aliaque oppida Vmbros tenuiſſe jam adnotavimus. Duodecim Coloniæ Etruriæ noſtræ vel tunc ex parte interierant, vel certe antiquas leges, & conſanguinitatem non ſervabant. Hi populi igitur Lydorum, ſeu Sardianorum conſanguinei neque erant, neque dici poterant. Etruria ergo,vel Etruriæ Regio, ut vocat Livius l. 9, noſtra Civitas erat. Martianus quoque Capella: *Etruriæ regio*, inquit *Æneæ fœdere celebrata.*Ad noſtras enim Urbes veniſſe Trojanum ducem ſecundum Virgilium,quum res feret demonſtrabimus: ideo Caſſandra apud Lycophonem cecinit.

Πάλιν πλανήτην δέξεταί σε Τυρσηνία,
λυγκεύς τε θερμῶν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν,

Καὶ πισσ', ἀγύλλης τε πολυῤῥηνὲς νάποι. 1.

Ruſus errantem ſuſcipiet te Etruria,

Et Lyncheus calidarum fluentum emittens potionum;

Et Piſſa, Agyllaeque ſaltus multos agnos habentes.

Si totam Hetruriam poëta intellexiſſet Tuſcum Amnem Tiberim commemoraſſet. Lyncheus calidas aquas emittens Caldano nunc dicitur, qui Cajas aquas celeberrimas, aliaſque noſtrarum thermarum collectas defert, cumque eo alius fluvius Egelidus miſcetur (nunc Freddano vocatur), apud quem, ut canit Maro, Æneas Veneris præſentis Deae alloquio fruitus eſt. Hæc Annii deliramenta vocat Dempſterus: Veum hoc reſponſum habeat: Annius Lycophronem neque legerat, neque fortaſſe nomine noverat, qui tamen calidas aquas Turſaniæ noſtræ, & Æneæ adventum commemorat. Sed de hjs alias uberius. Expendamus nunc Valerii Max. Caput 5 pulcherrimum l.4 in Externis: titulus eſt

Spurinæ Etruſci

Quod ſequitur externis adnectam, quia antea geſtum eſt, quam Etruriæ Civitas daretur: Excellentis in ea Regione pulcritudinis adoleſcens cum mira ſpecie complurium feminarum illuſtrium ſollicitaret oculos ..... oris decorem vulneribus confudit. cetera. Vides quam bene Civitatem datam, non tamen Urbem, ſed Regionem commemoret? Urbs enim locus unus eſt ab orbe dictus, & circumſcriptus, & mœnibus ſeptus, ut diſcimus ex Varrone l.4. LL., Regio vero ager, qui ad aliquam Civitatem pertinet, ut ſupra adnotavimus. Græci χώραν dicunt, ut χώραν τὴν ἀττικὴν paſſim apud Scriptores. Verum quindecim

oppida

oppida noſtra, quæ fuerint, quamvis certo affirmare non auſim in tanta antiquitate, ac Scriptorum jactura, tamen hæc fuiſſe opinor.

I. Fanum Volturnæ, ſeu Volturrenam

II. Longolam, ſeu Paratuſſam

III. Vetuloniam, ſeu Itulonium

IV. Arbanum, ſeu Arbeam

De his quatuor, utpote præcipuis, & quæ componebant Tetrapolim more antiquo, ſingillatim poſtea agemus.

V. Cort-Fenebra, quam Livius Etruſcorum fuiſſe ſcribit in Agro tamen Tarquinienſi videtur ponere, quia erat in ejuſdem confinio: Nunc *Caſtel delle formiche*.

VI. Cort-noſſa, quam pariter eodem modo idem nobiliſſimus Scriptor Patavinus refert: Editiones vulgatæ plerumque corrupte utramque ſcribunt: Erat prope lacum Volſinienſem, qua Tarquinienſi agro jungebatur.

VII. Coritus ex Servio, & Ptolemæo, quam Cort-Nientam appellat Epiſtola Deſiderii ad Grimoaldum: Extat nunc nomen *Foſſo di Cornienta* prope Canepinam, ubi aquæ Calidæ ſunt, & quædam rudera conſpiciuntur cum Monte non magno. Quidam Coritum inepte Cortonam eſſe credunt: Sed hoc alias expendendum.

VIII. Aſſium nunc *Caſtel d' Aſſo*, cujus meminit Deſiderius, & Cicero pro Cæcina Volturreno, ut mox videbimus. Stephanus de Urbibus ἀξίαν πόλιν Τυῤῥηνίας refert.

IX. Aruntes Camillarii, ſeu Aruntini, quorum nomen adhuc extat in ponte antiquiſſimo, & mentio fit in hiſtoria SS. Martyrum noſtrorum Hilarii, & Valentini, ne frag-

fragmenta Catonis referam : Hinc *Etruſcorum* Sacra Aruntia, ſeu Aruntina à novitiis Ariſtarchis inepte, ne dicam temere in Acherontia commutata in libris Servii, Ammiani, Arnobii, & Senecæ, ut videbimus.

X. Troſſulum, nunc *Vado Troſſano*, quem Cluverius cum M. Flaſcone confundit, ideoque ab Holſtenio jure reprehenditur. Eſt inter M. Flaſconem, & Ferentum.

XI. Horchiam prope Forum Annij. Sic appellabatur Dea Etruſcorum ibi Culta: Norchiam nunc dicunt: Sæpe enim ante vocalem A N ponunt, ut Nannium pro Annio, Nanna pro Anna.

XII. Mæonia, ſeu Mæonianum nunc *Magognano* dicitur, & *Caſtel Meone* ab illis incolis. Hic erat Caſtrum Turrhenæ. Ad hunc locum ipſe Dempſterus refert illud Ovidii l. 3 Metam. fab.8, ubi de Tyrrhenis agitur in delphinas converſis *Patria Mæonia eſt*.

XIII. Dardanum ex Deſiderii Epiſtola ad Grimoaldum vulgo Tardanum modo appellant. Hoc oppidum à Dardano nomen habuiſſe ſicut Coritus ab illius patre multa ſuadent argumenta, quæ, ſi res feret, expendemus.

XIV. Florentia ſeu Caſtrum Florentinum antea Cloræ, ſeu Floræ dicebatur, ut notat noſter Gotifredus in MSS. Hinc ejuſdem nominis uvæ apud Plinium mentio fit Tuſcis peculiaris l.14 c.3

XV. Arx Iti, qui Blaſcon, ni fallimur, dictus fuit, unde Montis Blaſconis, nunc Flaſconis nomen, ut habemus in Epiſtola S. Leonis IV. ad noſtrum Epiſcopum. Hunc locum arcem Iti vocat hiſtoria S. Flaviani, quam laudat Annius. Eam ego accepi à D. Bartholomæo Duranti Theol.

Vi-

Viterb., ſed valde interpolatam. Locus natura munitiſſimus, & maxime opportunus ſemper fuiſſe habitatus ſine ulla dubitatione videtur.

Amæria cum diphthongo nunc Amerelle, unde prædia Amærina Proſoceri Plinii Junioris, à quibus non procul aquas Calidas Vetulonienſes, atque in iis piſces commemorat Plinius Senior, ut poſt acerrimum certamen cum nobiliſſimis noſtræ ætatis Scriptoribus ad veritatem demonſtrabimus; an inter XV fuerit dubitamus. De Celeno quamvis ab Itali filia nomen habeat, non habeo quod dicam, ſicut de Ri-Oſyri, Ri-Gomero, Ri-Atlao, Ri-Spampano. Haud procul à Celeno erat Sajena olim Sangina, ſeu Sanginaja, quæ voces adhuc durant, Althia, Althetum, & alia quædam in noſtris monumentis habemus: Palenſanum oppidum notiſſimum dirutum eſt. Xais Xanto nunc San Liſanto, Xais Apoito, nunc Santapoito etiam nunc nomina extant. Cybellaria celeberrimus locus eſt prope Martæ fluvium, ubi innumera Signa, atque Antiquitatis Etruſcæ argumenta inventa ſunt, & nunc quoque inveniuntur. De his omnibus præter nomen, nihil præterea certi habeo, adeoque an in numero XV populorum fuerint ignoro. Nihil dico de Calvello, Vicorchiano, Balnearia, Barbarano, & Gariofilo, quæ Deſiderius aedificavit à ſolo. Foranum, ſeu Forum Annii, cujus pariter mentio fit in Deſiderii Epiſtola, ſeu ut vocant Decreto, in Etruſcorum locorum numero non eſt. Quos igitur enumeravimus XV fuiſſe Etruriæ populos veriſimilius eſt, in quibus imperium tenuit antiquiſſimus Coritus Electræ Socer: ideo toties legimus

mus

mus Coriti populos, Coriti Urbes, ſicut etiam Lydorum populos apud Numatianum, Silium, & magnum Maronem. Hi omnes Etruriæ nomine continentur. Hinc toties tota Etruria, & omnis Etruria apud Veteres auctores, quum de noſtra Civitate, ſeu agro ſermo ſit: Quum in Tarquinienſi Tages repente ex terra prodiiſſet, narrat Cicero l. 2 de Divinat: *Concurſum eſſe factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam conveniſſe*. An tota Hetruria, ideſt homines quos Macra, Tiberis, & mare circumdat brevi temporis intervallo in unum locum coacti ſunt? Nihil eſt, quod ringantur quidam cum Cluverio, Sparaverio, Volaterrano, naſoque adunco has plures Vrbes ſuſpendant: ad trutinam ſingula revocent non impedio. Explicent Livium, qui Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad Fanum Volturnæ factam narrat, omneſque Etruſcos armatos Sutrium obſediſſe l. 6. cap. 2: & l. 10 cap. 9 ex Faleriis legatos miſſos Romam, qui concilia populorum Etruriæ haberi auctores fuerunt; quum certum ſit per ea tempora non modo Falerios, Sutrium, & Nepet, ſed Vejentes, Capenates, & Cæretanos amicos fuiſſe Romanorum: præterea cum Tarquinienſes, Volſinienſes, & Salpinates ſubiectos habebat Roma, tum Sabatinam, Trometinam, Stellatinam, & Arnienſem tribus ex Hetruriæ populis etiam Arni accolis, ſi Sigonio credimus, & Fontanino de Antiq. Hort:, confecerat. Cum Cluſinis Romanos Societatem iniiſſe bello gallico jam ſupra adnotavimus. Omnes igitur populi, quos Livius Commemorat, Hetruriæ duodecim Vrbes eſſe non poterant

terant. Quare qui Etruria XV Popul: in duabus inſcriptionibus lapideis corrigendum eſſe cenſebant, quanto melius de litteris meriti eſſent, ſi librariorum errores emendandos potius cenſuiſſent, & ubi Tuſciæ XII populos à Tarquinio ſubactos Florus l. 1 cap. 5 commemorat, XV potius repoſuiſſent. Totam profecto Hetruriam ad Macram uſque ſub Regibus perdomitam incredibile cuique videtur. Cluverius ne ad Arnum quidem uſque concedit: & merito, quum Diodorus Sic: l. 20 Fabium Max. primum Romanorum Peruſiam, Arretium, & Crotonem ſubegiſſe, primumque ea loca intraſſe teſtetur. Idem Florus cap. 17 bellum Etruſcum deſcribit, & horrendum Saltum Ciminium ab eodem Fabio prima expeditione ſuperatum: Etruſcorum XII populi, inquit, per id tempus incitati. Si XV pariter hic quoque legiſſent, & non XII Urbes, ſed XV Populos noſtræ Civitatis intellexiſſent, forſitan multo melius conjectaſſent. Nam Faliſci, Vejentes, & Cærites, ut modo vidimus vel in amicitia, vel in poteſtate erant Ro: Reipublicæ. Sed quæ reſtant proſequamur. Explicent Adverſarii illud Julii Capitolini, quo nam modo ipſi intelligant, qui in Vita Antonini Pii -- *In Etruria dolia, quæ defoſſa fuerant, ſupra terram reperta* fuiſſe, ejuſque ſtatuas *in omni Etruria examen apum repleviſſe* narrat. Idem Auctor enim & Spartianus de L Cejonio ſcribentes aſſerunt ex gente Annia, ac Verorum familia fuiſſe, ſcriptumque legimus apud Capitolinum originem traxiſſe *paternam quidem ex Etruria, Maternam ex Faventia*: apud nos enim Annios (quod præfiſcine ſit dictum) floruiſſe, quos

G Veros

Veros vocat etiam Epigramma Libertorum Auguſti, quod nuper edidit Ill. Blanchinius p. 13, & Antonius Gorius p. 221, ex probatiſſimis ſcriptoribus oſtenditur. LÆLIUM VERUM in tegula, quam paucis ab hinc annis inventam ad Fanum Volturnæ mox referemus, ſcriptum videmus. Aſconius in orationem pro Milone illum fuiſſe, ait, ex gente Papia, ſed deinde adoptatum à C. Annio avo Materno, à quo Annii nomen ſumpſit. Nunc enim vero quisque intelliget, cur Clodius infenſiſſimus illius hoſtis Civibus noſtris toties incommodaſſe dicatur. Tullius enim Orationis prope finem *Clodium* refert *non ſolum Etruſcos, eos enim penitus contempſerat, ſed L Pompejum pellere poſſeſſionibus* conatum: & paullo poſt *Vaſtaſſe Etruriam*. Si de toto tractu à Janiculo ad Lunam; vel Arnum ſaltem intelligi deberet non poſſeſſionibus ſolum, ſed patrio ſolo, Urbibus, ac finibus ad Ligures, vel Umbros, Sabinos, vel Latinos omnes Hetruriæ Urbes, atque univerſa Oppida migrare coacta fuiſſent. Quis vero ſibi ſuadeat Clodium licet maleſanum, privatum tamen totius Hetruriæ vires, ac populos potuiſſe contemnere, ac pellere poſſeſſionibus? Viterbienſium adverſarii ab his ſeſe expedire nullo modo poſſunt. Nobis nullum negotium hæc faceſſunt, qumvis lingam latinam ignoremus. Scimus enim ex Ciceronis Philip. XII Clodium non longe à noſtri agri finibus poſſeſſiones, totamque familiam habuiſſe, ut jam adnotavimus, unde poſtea Foro-Clodium, quæ Tulſa nova dicta eſt, ideoque ei fuiſſe facillimum noſtros Cives infeſtos habere. Hinc audito illum fuiſſe à Milone interfectum, noſtra Civitas in primis gratu-

lata

lata eſt, omnibuſque lætitiis merito inceſſit, quum videret tam immanem belluam, quæ ſibi tot damna intulerat, ſuoſque Cives Annii Cauſſa perſequebatur pœnas luiſſe, meritaque nece fuiſſe punitum: quod ipſe Cicero teſtatus eſt in pulcherrima Oratione pro eodem Milone prope finem. *Omitto*, inquit, *Etruriæ, feſtos & actos, & inſtitutos dies*. Quid dicam de fragmento poſt Auctores de Limitibus, in quo Arruntis Vertunni non modo mentio fit, ſed & hæc verba leguntur: *cum Iuppiter Terram Etruriæ ſibi vendicavit, conſtituit, juſſitque metiri Campos, ſignari agros* &c. An totam Hetruriam dimenſus eſt? Quare quum in Etruria, aut ἐν Τυῤῥηνίᾳ apud veteres geſtum aliquid legimus, ſæpe noſter ager; quum in Tuſcis, ſemper intelligendus eſt. Horchiam Deam Etruriæ dicit Livius l. 4, & in noſtro agro Urbs diruta Horchia dicitur, ut in litteris ipſis S. Leonis IV legimus, quas refert Balutius, & nos ad hujus Operis calcem dabimus: inde poſtea Vicus Horchianus, quamvis non eodem loci ſit, ut notat Dominicus Magrius jam noſter Theologus in appendice ad lexicum Ferrarii, & Antonius Maſſa de Origine Faliſcorum. Vetus namque Horchia eſt ad Viam Anniam, quam relinquentes Incolæ propter aeris gravitatem, opinor, vel aliud incommodum, in Vicumorchianum à Deſiderio translati ſunt, quod fecit etiam cum Calvelli habitatoribus, ni fallor, quos ex Tuſcanelli vicinia in noſtro Agro inter Cellenum poſuit, & Polimartium. Eſt etiam Troſſolum, ut jam indicavimus inter M Flaſconem, & Ferentum, ut in Chorographia Ameti videre eſt, cujus meminerunt

veteres gloſſæ, ut vocant, in Perſium, quod notat Dacer in Feſtum. Plinius hoc Caſtellum l. 33 cap. 2 pariter in Tuſcis eſſe diſerte ait, citra Volſinios IX millia paſſuum: Non procul à Troſſulo Florentia, ſeu Florentinum Caſtrum conſpicitur, à quo *Tuſcis Florentia uva peculiaris*, ut ait idem auctor, *eſt etiam optima Arretio talpana*. Tudernum quoque non procul aberat à quo uva Tudernis apud eundem. Re ipſa Vina Tuſca cum Tarraconenſibus comparata à Valerio Martiali l. 14 olim magno in pretio fuerunt: & nunc quoque Viturclanenſia, Balnearienſia, Surianenſia, Apiana Flaſconenſia, Rubra Canepinenſia, quæ omnia in noſtro agro fuerunt, celeberrima ſunt. Tacitus annalium l. 15 Etruriam à Ferento diſtinguit, quod quinque millibus paſſuum diſtans à noſtris ſolo æquatum fuit: *Flavius Scævinus*, inquit, *pugione in Templo Salutis in Etruria, ſeu ut alii tradidere Ferentano in oppido detraxerat*. Eſt Viterbi ad forum Piſcarium Veſtus Templum Salutis, quod demum eodem nomine in honorem B. Virginis dicatum eſt. Illud minime prætereundum: non longe à domo Cardinalis Santorii locus eſt, quod Capitolium appellatur. Legat ſi quis vult Plinium l. 28 cap. 2, quum narrat Ro: Legatos Etruriam petiiſſe, ſeque contuliſſe domum Olenii Caleni Aruſpicum principis, ut oſtentum Capitis in Tarpejo inventi interpretaretur, ſciatque ab imagine templi, quod in ſolo ipſe ſcipione deſcripſerat, nomen in primis illi loco fuiſſe factum. Diſputans naturalis hiſtoricus, an Magnarum rerum fata, & oſtenta verbis permutari poſſent: *Certiſſima*, inquit, *annalium*

aſſir-

affirmatione tranſiturum fuiſſe fatum in Etruriam, ni præmoniti à Filio vatis &c. Diligentius rem eandem geſtam apud nos narrat Dionyſius l. 4 Antiq., atque ad nos Tarquinium Regem τῶν ἀστῶν δοκιμωτάτους civium probatiſſimos miſiſſe; quod & confirmat Servius in l. 8. Livius ſolum dicit vates accitos ex Etruria ad eam rem conſultandam: parce quidem, ne dicam falſo, contra ac ſolet, quum de prodigiis agitur, ac vatum reſponſis. Idem Livius l. 3 cap. 4 *Dimiſſus è foro Cæſo Quintius nocte proxima inſciis Conſulibus in Tuſcos in exilium abiit.* & l. 9 cap. 30 *in Tuſcis* parta decora coram militibus commemoraſſe Q. Fabium narrat. Templum Thetios ἐν τυῤῥηνίᾳ fuiſſe dicit Plutarchus in Vita Romuli. Sed nos ubi fuerit ignoramus. Annius ſcribit fuiſſe locum, qui ſua ætate templum fatale dicebatur in Vadimona. Ἐν Τούσκοις *in Tuſcis* Procopius inſulam eſſe dicit, ubi Amalaſuenta à Theodato periit. Scio in Trogi Pompeji Epitome l.20 Tarquinios *in Tuſcis*, & apud veterem Perſii Scholiaſtem *in Tuſcis* pariter Ferentum poni, verum, ut obſervat Dionyſius Halic. τὰ ἔθνη ἀγχοῦ οἰκοῦντα ταὐτὸ ἔπαθον ἀλλήλως i. *gentes vicinæ hoc invicem patiuntur.* A Scriptoribus Sequioris ævi etiam Narnia, Spoletium in Tuſcis, aliæque Urbes recenſentur, imo ipſa Roma à Paulo Varnefridi, ſed de antiquis auctoribus, ac de Livii mente præcipue ſollicitus, hos libenter omitto.

CAP.

C A P. VIII.

De Locis Avernis in noſtra Etruria Varro, & Lucretius reſtituti, atque explicati.

APud Varronem l.8. de LL. aquæ Calidæ, quibus veteres utebantur maxime, quum aliæ ad alium morbum idoneæ eſſent & Puteolis, & in Tuſcis fuiſſe narrantur. Scribonius etiam Largus Cap. 146, & Marcellus Burdigalenſis c.26 Medici Antiqui meminerunt aquarum Caldarum, quæ ſunt in Tuſcia, quaſque Veſicarias, & ferratas appellant ad quinquageſimum lapidem. Martialis quoque de Thermis Etruſcis (non Etruſci, ut quidam legunt) ſcribens fervidi fluctus Paſſeris meminit, quem ex tabulis peutingerianis apud nos fuiſſe ſcribit Cluverius, ut omittam Jaſii, & Serapidis thermas, aliaſque multas, quas noſter Cæſar Crivellatus, Baccius, & Durantes junior recenſent, ac deſcribunt cum aliis ſcriptoribus. Hinc bene defenditur antiqua, & genuina lectio Lucretii l.6, quam habent editiones optimæ Manutii, & præcipue libri MSS.

Nunc age Averna tibi, quæ ſint loca cumque, lacuſque
Expediam quali natura prædita conſtent.
Principio quod averna vocantur nomen id ab re
Impoſitum eſt, quia ſunt avibus contraria cunctis:
E regione ea quod loca cum advenere volanteis

Re-

Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipiteſque cadunt molli cervice profuſæ
In terram, ſi forte ita fert natura locorum
Aut in aquam, ſi forte lacus ſubſtratus averno, st.
Is locus eſt Cumas apud, Etruſcos & monteis

Quidam legunt, *ſic locus eſt Cumas* .... Erant notiſſimæ Therme Etruſcæ, ut ex Varrone Vitrurio, Strabone videre quoque eſt: Hadrianus in itinere Julii II

Tendimus inſignem per balnea multa Viterbum

& Georgius Fabricius in Itin: Patav. pag. 36

Non dicam calidos fontes, & olentia ſulfur
Balnea: Bajanis hic certat Tuſcia thermis.

multo ante etiam Cardinalis Baſſarion ſæpe neminit in ſuis Epiſtolis ſcriptis apud noſtras thermas quarum una refertur in hiſtoria Academiæ Regiæ to: 2 pag. 455: refertur & alia à Rainaldo in Hiſtor. Eccl. ad annum 1463. Joannes Villanus in Hiſtoriarum libro noſtrarum thermarum meminit, atque inde Viterbum, quaſi Vitæ Terebum dictum opinatur: eadem fere hebet Fatius Ubertus in Dittamondo: noſter Gotifredus in Pantheo par. XVII barbarico id ætatis ſtilo.

Ad Vitæ meritum veniunt vexilla Viterbum,
Unde patens Erebus fontem facit igne protervum.
Fortis ibi populus, miles ad arma probus.
Optimus indigenis fons balnea multa paravit.

quare profecto intelligendo faciunt, ut nihil intelligant Turnebus adverſariorum l. 22 cap. 19; aliique, qui illum Lucretii locum fœdum in modum immatarunt: Nam qui venit in mentem viris ceteroquin eruditis veram

ram lectionem delere, atque inducere; ad ſolam Campaniam, & Cumas poetæ mentem arctantes, quum diſſerere univerſim de Avernis omnibus profeſſus fuerit, ut fatetur Lambinus. *Quid enim ineptius* (ait ad hunc locum), *atque adeo abſurdius, quam poſtquam de toto genere Avernorum diſputavit, hos verſus ſubjungere, quibus oſtendat ſe de uno Averno locutum eſſe?*

Qualis apud Cumas locus eſt, Montemque Veſevum?

quidam enim eo modo legendum contendebant: alii vero

Is locus eſt Cumas apud Ocris Vipera montis

non dicam hic quid ineptius, ſed quid monſtroſius? quidam ridicule

Hic locus eſt Cumas apud, ejus ſub pede montis

alii vero ineptiſſime

Is locus eſt Cumas apud, & riſui per Montes

Hæ grammaticorum ineptiæ, atque diſſidia vere riſu digniſſima, quæ cum ſuis auctoribus referuntur apud Lucretium ad uſum Delphini, ab eodem Lambino, aliiſque, ſatis ſuperque oſtendunt quam à vero aberrarint, ac noſtræ Regionis imperiti fuerint. Certe apud Nos Aquæ Calidæ, quæ nunc Navis appellantur, ſæpiſſimæque aves volantes halitu quodam inficiunt, ac perimunt, omnem dubitandi locum removent, quum apud Etruſcos montes ſcatere veræ, atque antiquiſſimæ Lucretii editiones ac MSS. teſtentur. Fruſtra igitur Camillus Peregrinus, & Dempſterus veram lectionem tuentur quidem: *apud Etruſcos & Montes*, ſed ad Puteolos accomodant, quod Etruſcorum Colonia fuerit, ſicut, & Cumæ. Ignorabant hi ſcriptores noſtrorum locorum naturam, ideoque quum

ex-

explicare veteres auctores cogerentur, qui de rebus noſtris loquebantur, alioſum omnia, ut fit, accipiebant, & ad ea, quæ noverant lesbia velut regula applicabant. Sed illum Lucretij verſum pro libito explicent, & poetæ ſenſum flectant, ac torqueant: experientiæ ipſi, quæ quotidie apud nos morientes aves oſtendit, non auſcultent: Etruſcos Montes, ac fontes cum Bajanis miſceant jure ſuo, atque confundant: quid dicent ad hoc Euſthatii teſtimonium K Rapſod. Hom. par:3 p.410 edit. Baſil. apud Froben. Ἄορνος λίμνη περὶ Τυρσηνίαν: καὶ ἐν Κύμῃ δέ φησι τῇ χαλκιδικῇ Ἄορνος λίμνη. i. *Avernus lacus in Etruria, & Cumis ajunt Chalcidicis avernum lacum eſſe.* Satis ne diſerte, ac diſtincte? Præterea idem Homericus Scholiaſtes affirmat in locis hiſce avernis necromanticas artes frequentatas, & re ipſa Hervetus Clementem Alexandrinum refert, qui Tuſcorum Necromantiæ mentionem facit, ut jam adnotavimus.

CAP. IX.

De Lacu Vadimonis in Etruria, ac Prædiis Amœrinis: Uterque Plinius, aliique explicantur.

SEd inter Avernas undas celeberrimus eſt lacus Vadimonis: hunc plerique prope Baſſanum non longe à Tiberi conſtituunt, contra quos Julius Roſcius Hortanus propius ad Hortam fuiſſe contendit in Elogiis Ma-

litaribus: Blondus ad M. Roſulum, & Jo: Scaliger (quis crederet?) in notis ad Propertium l. 4 El. 1 in Umbria prope Mevaniam fuiſſe opinatur, & cum Clitumni fonte confundit, quam ob rem jure vapulat, & irridetur à Scioppio Ep. 13 ad Guilel. Moonſ. ſubficto nomine Paſchaſii Groſippi. Verum Annius ad grammaticæ ludum miſſus nimia, qua præditus eſt ſimplicitate paret, atque ad explicandum T. Livium ſuos æmulos provocat. Locus eſt initium Capitis ſeptimi libri noni - *Interea res in Etruria geſtæ, nam cum Umbrorum exercitu acie depugnatum eſt, & ad Vadimonis lacum Etruſci lege Sacrata coacto exercitu, cum Vir Virum legiſſet quantum nunquam alias ante ſimul Copiis, ſimul armis dimicarunt. Res in Etruria geſtæ*, inquit, hoc eſt in Agro Viterbienſi, ubi eſt lacus Avernus Vadimonis. Corrigunt Antonius Maſſa, Vincentius Borghinius, Famianus Nardinus, aliique magno ſtrepitu, & tantum Annium non verberibus damnant. Verum innocentiæ, & Veritati deſunt quidem ſæpe defenſores, at nunquam defenſio: Audiant igitur adverſarii. Vos poſt Vejos, Faliſcos, aliaſque Urbes à Romanis victas Hetruriam ad Ciminum montem contraxiſtis, & Nepet & Sutrium ideo illius clauſtra dixiſtis: Ergo ſi in Etruria à Q. Fabio bellatum eſt ad Vadimonem, lacum hunc trans Ciminum fateamini neceſſe eſt. Florus l. 1 cap. 14 Cladem Senonum reliquiis illatam à Dolabella ſimul in Etruria, ſimul ad Vadimonem accidiſſe teſtatur, & Polybius l. 2 cum Boiis Etruſcos eorum Socios adverſus Romanos copulat, atque utrorumque cædem ad ὀυάδμονα

Va-

Vadimonem factam ſcribit: adeoque vel Etruriæ, vel Etruſcorum ſemper mentio fit, quum de bellis ad Vadimonem agitur, & Sacra Etruſca dicebantur, in quibus lege Sacrata vir Virum legebat, ut ex Epigrammate apud Gruterum p. 479. 1 cognoſcimus - EQUITIS ROM. JURATI AD SACRA ETRUSCA. Non ab re eſſet explicare Vadimonem Deum Etruſcorum fuiſſe, eundemque eſſe cum Vertumno, prope cujus templum poſt quam è noſtro Fano Romam translatum fuit in Vicum Tuſcum, ut Propertius teſtatur, vadimonia veteres obibant. Sed quia epiſodia averſamur, quæ ad rem propoſitam unice pertinent, expendamus. Plinius junior ſcribit ſe ex prædiis Amærinis Proſoceri ſui lacum illum vidiſſe, & cum amicis quibuſdam deſcendiſſe ſpectatum. Si quis legat exactam, atque elegantem ipſius deſcriptionem, tota quanta eſt ad amuſſim noſtro lacui quadrat. Eſt enim ad ſimilitudinem rotæ, ut ipſe ait, color ceruleus, ſulfureus odor, ſaporque medicatus, & membrorum fracturas ſolidandi vim habet. Sunt & inſulæ herbidæ (quod notatur etiam in Sotionis fragmentis, & Strabonis l. 13 Amſtelod. apud Vuolters pag. 914) junco, & arundine tectæ, niſi quod modo, quia nulla religione, aut arte colitur, ac prope deſpicitur, continenti adhærent, anguſtioremque illum reddunt. Ceterum ſi quis eas obambulet, ut ipſe expertus ſum imprudens, ſtatim ſentit inſtabile ſolum, ac nutans. Magna aquarum vis veluti effervefcens erumpit, ſed illarum curſus vix conſpicitur, quod ſtatim ſpecu merguntur, ut narrat Plinius, alteque conditæ meant. De avibus, quæ ibi immoriun-

tur, non meminit, quia fortaſſe, ut Strabo de avernis Cumanis, aliiſque difficile id creditu exiſtimabat, ideoque referre in litteras veritus eſt: quædam enim de eo incredibilia narrari ſub ipſum Epiſtolæ initium præfatus jam fuerat. Plinius quoque Senior non ex ſuo ſenſu, ſed veluti ex aliorum ore idem retulit. *Caelius apud nos in averno ait etiam folia ſubſidere: Varro aves, quæ advolarint, emori* l. 31 cap. 2. Sed verum hoc, immo veriſſimum ſi mihi credere quis non vult, locum ipſum adeat, & videat. Jam vero tota vis adverſariorum qui ad Baſſanum, ſeu in Hortæ agro eum eſſe credunt, in eo ſita eſt, quod prope Amerina prædia à Plinio l. 8 Ep. deſcribitur. Ficulneum auxilium! De voce diſceptatur quum res ipſa loquitur. Sed hoc ipſum videamus. Optimi codices habent Amærina prædia cum diphthongo, ut videmus in notis ad marginem editionis Pariſienſis Caſauboni, atque in Florentina apud Juntas, atque Aldina emendatiſſima ex adeo correcto, atque antiquo volumine concinnata, ut auctoris ætate ſcriptum ipſe Aldus crediderit in Epiſtola præfixa ad Aloyſium Mocenicum. Incertum ergo, atque inſtabile fundamentum eſt, in quo adverſarii innituntur: Nam illud adiectivum ab Ameria ſine diphthongo deduci non poteſt. Deinde ſi ex Amerinis prædiis in Umbria Plinius vidit, quomodo ſubiectus dicitur Lacus, qui in noſtra Hetruria eſt, ut ipſi adverſarii contendunt prope Baſſanum, aut Hortam? Quomodo Tiberis, qui ſuperari, & tot millium paſſuum, qui confici debebant, nulla facta mentione ſtatim ad Vadimonem cum amicis deambulans pervenit? At verò

prædia

prædia Amærina dici, quod Ameria ex adverſa Tiberis ripa imminet, ut ait Claris: Holſtenius in notis ad Ortelium p. 201; adeo falſum, & infirmum eſt, ut mirer eruditisſimum hominem hæc cogitaſſe, ne dicam ſcripſiſſe. Minime igitur dubitandum eſt, quin apud nos hæc prædia fuerint, immo credo ad horum imitationem ſuum rus prope Tifernum in libris Epiſtolarum *Tuſcos* Plinium appellaſſe in gratiam proſoceri ſui. At ecce tibi Cluverius ſuccenturitatus, fuiſſe reſpondet Caſtellum Amerinum quoddam in Faliſcis prope Tiberim, & de hoc loqui Plinium, quum ea prædia appellat Amærina. Sed quibus indicibus, quo teſte probabit, ſi quis verbo neget? Antonius quidem Maſſa, qui de hac quæſtione ſcribit, ac de hoc Agro ex profeſſo, in iiſque locis natus erat, de hoc Amerino ne verbum quidem facit, ſed ad Ameriam Umbriæ cum Holſtenio, ut Plinium explicet, confugit. Verum Cluverius, inquit, ponunt tabulæ Peutingerii. Dignum patella operculum! Quis enim non videat tabulas illas tota via errare? Caſtellum quippe Amerinum, atque ipſam Ameriæ Urbem citra Tiberim in Hetruria ponunt, quo nihil abſurdius. Adde eas tabulas ab indocto aliquo concinnatas fuiſſe multo poſt Chriſtum natum, ut ex nomine Franciæ cognoſcere licet, & ex Templo S.Petri, quod Romæ deſcribunt: unde etſi omnia ad amusſim eſſent exacta, tamen pro tempore ſolum labentis imperii, non pro ætatibus ſuperioribus poſſent argumenta ſuppeditare, ſed de his tabulis Velſeri judicium legat, ſi quis vult, in præf.p.710, & diligentiſſimi Nicolai Bergierii cenſuram. Harum igi-

gitur auctoritate Cluverius contra nos pugnat ? At ipergit ipſe, additque de Vadimone aquas erumpentes brevi in Tiberim decurſu plures molas volvere, & totam Plinii deſcriptionem recitat, quod facit etiam Illuſtr. Fontaninus. Sed Plinius non ſolum Tiberim nunquam nominat, quod animadverſione dignum eſt etiam in Seneca, Sotione, Livio, Polybio, aliiſque, qui hujus lacus meminerunt, ſed diſerte negat Vadimonem ſupra terram undas effundere - *lacus in flumen egeritur, quod ubi ſe pauliſper oculis dedit, ſpecu mergitur, alteque conditum meat*. Redit in mentem nunc, quam male de antiquis undis meritus ſit Eques ille. De Vetulonienſibus, & Taurinis videbimus: nunc ſolum refero, quam turpiter lapſus ſit in Ciminiis, quas negat contra veteres, & novos auctores, & contra ipſum oculorum teſtimonium fluere in Tiberim. Hinc noſcant lectores quam verum ſit, quod ſæpe inculcat, ſe Italiæ loca adiiſſe, circumſpectaſſe, diſtantias dimenſum eſſe: neque vidit, neque conſideravit ſuas paginas chorographicas: in Hetruriæ enim tabula, quam libro ſecundo præfigit, Ciminius lacus fluvium emittit, qui prope Nepet, & Falerium, ſeu melius Feſcennium tranſit, & poſtremo in Tiberim effunditur. Sed ad propoſitum revertamur. Qui ad Hortam Vadimonem volunt S. Landi Martyris quandam narratiunculam proferunt ex Ferrario in Catal. 5. Maji, atque etiam ex Bollando to.2 p.49, in qua Vadimonis mentio fit. Quam auctoritatem habeat illa S. Landi hiſtoria videant æqui lectores ſuis oculis, atque in eodem Juſto Fontanino l.1,c.5. Quod ſi ibi quoque la-

cum

cum cognominem exiſtere adhuc contendent, ego cum Goropio Becano in Eleg. Propertii concedam: negabo tamen de eo Livium, alioſque veteres agere: Negabo ibi Romanos cum noſtris pugnaſſe. At muſſitant Adverſarii, perſtantque in eo obſtinate, ut velint ex Cimini vertice & Etruſcos, & Romanos ſe Hortam verſus deportaſſe. Sed paucis ipſos volumus. Sciunt ne ex Sutrio Ciminum ſubeunti dextrorſum Faliſcorum agros exiſtere? Sciunt præterea ab Etruſcis Faliſcos non ſolum diverſos, quod confeſſus eſt Gratius de venatione, ſed præterea id temporis à Romanis ſtetiſſe, & jam diu ante M. Valerio, & A. Cornelio Coſ. An: VC. CCCCXII. fœdus percuſſiſſe, in eoque multo poſt. hunc Fabii adventum permanſiſſe? Legant Caput penultimum libri X Liviani - *Segnius tamen, quo ad Etruriam acta res eſſet, ni Faliſcos quoque, qui permultos annos in noſtra amicitia fuerant, allatum foret, arma Etruſcis junxiſſe*. Idem confirmatur ex c.9. ejuſdem libri,ubi narrantur Falerii legatos miſiſſe Romam cum Sutrinis & Nepeſinis, ut Senatum, quid agitatum fuerit in Etruriæ conciliis admonerent. Deinde Cap. 13 exercitum Romanum in Faliſco Etruriæ oppoſitum legimus. Ergo quum Q. Fabius ad nos venit, Faliſci contra nos faciebant, Romanaſque partes adjuvabant. Quonam igitur pacto noſtri milites in Faliſcorum, ideſt in hoſtium arva ſe recipere, atque ad eorum Oppida confugere poterant? Nondum dico quam hoc ab omni parte ridiculum ſit, atque arguat noſtrorum locorum non modo inſolentiam, ſed etiam inſcitiam: prætereo in locis prope Baſ-

ſanum

ſanum præruptis, ac confragoſis vix, ut ita dicam, Homericæ βατραχομυομαχία Batrachomyomachiæ in aciem educendæ ſpatium eſſe, quod obſervavit etiam Julius Roſcius Hortanus. Illud unum adnoto, quod ſi ad eum lacum prope Baſſanum, vel Hortam eundum erat, ut pugna cum noſtris à Romanis committeretur, ſupervacaneum, ac ſtultum erat Ciminum montem horrendum periclitari: quum ex Sutrio per Nepeſinorum, & Faliſcorum Agros promtum, atque expeditum eo iter pateret. Verum adeo ſapiens conſilium fuit, atque ex uſu Ro: Reip., ut Q. Fabius poſtea apud Livium l.X. c. 17 in ſenatu ſupra modum gloriaretur, ſeſeque per Ciminiam ſilvam Etruſcorum cladibus, & Romanorum triumphis viam aperuiſſe dictitaret, & Frontinus l. 1. cap. 2 ſumma cum laude inter præcipua ſtratagemata recenſeret. Hæc tam vera, ac tam clara ſunt, ut mirum ſit tot, tantoſque viros in contrariam ſententiam abiiſſe; præſertim quum Livius toties, antequam ad Vadimonem pugnaretur, Cimini tranſitum repetat, atque inculcet. Libro nono cap. 2 exploratores miſſos dicit per ea juga, qui & trans montem ierunt, & Cluſium uſque penetrarunt, cujus Senatus Romanis commeatum triginta dierum, ſi ea loca intraſſent, promiſſit, ut jam vidimus. Deinde Ducem Ro: luce prima juga montis tenuiſſe, atque in Etruriæ arva milites emiſiſſe, quod confirmat Florus l. 1 cap. 17. Ibidem narrat Patavinus Scriptor, quum legati denunciarent Q. Fabio Senatus verbis, ne ſaltum illum tranſiret, lætari ſerius, quam ut impedire id poſſent, veniſſe: inde vaſtatam fuiſſe oram

ſub

ſub Cimini montis radicibus, & concitatos populos finitimos commemorat: addit tam claram pugnam trans Ciminiam Silvam pugnatam: paullo poſt hæc habet: *Profectio Fabii trans Silvam Ciminiam* cetera. inde hæc verba adjungit: *Dictator profectus cum Legionibus ad terrorem traducti Silvam Ciminiam exercitus ſcriptis*: Tandem hæc ſcribit cap. 17: *Interea res in Etruria geſtæ - nam ad lacum Vadimonis Etruſci lege Sacrata coacto exercitu dimicarunt*. Lacus igitur hic trans Ciminum eſt, non in agro Hortano, adeoque in noſtra Etruria, ubi omnes Plinianæ, deſcriptionis notæ nunc quoque conſpiciuntur.

CAP. X.

De Thermis Caiis, quas inepte Bajas vulgatæ editiones Tibulli appellant, in noſtra Etruria.

PRæter Vadimonem Avernum, de quo modo diſputavimus, ſunt etiam celeberrimæ aquæ Cajæ, ſeu ut etiam vocant *delle Donne*: non procul à Bullicani fervoribus, ut ait Baccius, ubi plura veterum ædificiorum veſtigia, & Thermæ magnificæ extructæ ſunt, poſtea reſtauratæ à Pio II, Nicolao V, & Marcello II Pontificibus Op. Max., aliiſque principibus Viris. Adiacet illis fertiliſſima Vallis, quæ *delle Caje* vocatur, ut quiſque videre poteſt apud Baccium eundem, & Crivel-

latum de Thermis Viterbienſibus, atque ex Agri Ro: chorographia Ab. Matthei, & ab ea Patrimonii, quam edidit Philippus Ametus: Ex geographia Ant. Magini, atque ex deſcriptione Italiæ Judoci Hondii: Caja enim Mulier dicitur, ſeu Domina, ut ex nuptialibus ſacris notat Quintilianus l. 1 cap. 7, & Plutarchus in quæſt. Ro:: Hanc appellationem præterea etruſcam eſſe facile quis ſibi ſuadeat, quum Sacra Nuptialia, & Cæcilia Tarquinii Priſci uxor, quæ Cajæ prænomen habuit, aliiſque impertita eſt, ex Hetruria ortum habeant. De his noſtris thermis ſumma cum laude veteres locuti ſunt, ſed ut fit, libri fere omnes tam typographorum negligentia, quam grammaticorum inſcitia pariter corrupti ſunt, & ubi Cajæ legendum erat, Bajas repoſuerunt. Queritur elegiaco Carmine Tibullus Romæ ſe in lecto detineri, quum ſui Sodales verno tempore apud aquas Cajas, quæ ab Etruſcis montibus fluunt morarentur, quæque ὑπὸ κύνα cum furit Siriusmaxime noxiæ ſunt. In fine elegiæ iterum illos in Tuſcis eſſe prædicat, ut notat Scaliger, & Achilles Statius to. 2 p. 255 cum Not. Var., & tamen libri, & grammatici fere omnes Bajas habent.

Vos tenet Etruſcis, manat quæ montibus unda
Unda ſub æſtivum non adeunda Canem;
Nunc vero Sacris Cajarum Maxima Lymphis
Quum ſe purpureo vere remittit hiems.

Tertium verſum acutulus quidam ſophiſta non poſſe intelligi de noſtris undis contendebat, ideoque nihil immutandum. Adverſativa particula *Nunc vero*, ajebat, diverſum locum ſignificat: Si igitur in primo diſticho Tibulli

Tibulli Amici ad Thermas Etruriæ morabantur, in ſecundo ad Baias, & in Campania fuiſſe poeta ſignificat. Ego acumen ingenii in hac grammatica obiectatione commedavi, ſed monui, ut perpenderet apud nos Cajas eſſe, & Tibullum in fine elegiæ iterum affirmare ſuos ſodales in Tuſcis detineri:

At vobis Tuſcæ celebrantur Numina lymphæ,
Et facilis lenta pellitur unda manu.

Quod non ſolum ineptum, ſed maxime abſurdum foret, ſi Campanas undas poſt noſtras petiiſſent. Adverſativa particula *nunc vero* aliud anni tempus, non locum diverſum ab Etruria Noſtra ſignificat: quod nimia contradicendi feſtinatione non adnotavit. Mitto tricas, quas hic quoque ſerunt Scholiaſtæ, ut ſeſe explicent ab Etruſcis, & Tuſcis epithetis, quæ Baiis aptari non poſſunt. Hæc carmina, atque undæ Delio natatore non indigent, ab ſe cantant cujæ ſint, & ſola lectione opus eſt, ut intelligantur. Nam quod Jo: Scaliger, aliique, ut illud Epithetoin, quod negotium faceſſit, explanent, omnes thermas vocari Bajas aſſerunt, neque verum eſt, niſi figurate loquaris, neque ut hic difficultatem effugeres, ſatis eſſet. Nam ſi *Bajarum maxima* legere velis à ceteris Etruſcis Aquis diſtinguitur, & pro præcipua, ac peculiari uſurpatur. Si enim ſenſus ſit: vos tenet unda quæ manat Etruſcis montibus (non fontibus ex Cod. Vatic.), quæque æſtate fugienda eſt: At nunc vere incipiente illa Maxima Bajarum; quis non videat de unis, & primariis thermis inter noſtras ſermonem haberi? Bajarum nomen igitur adeo non eſt com-

mune omnibus aquis calidis, ut vel reliquis noſtratibus recuſari neceſſe ſit. Aliud etiam incommodum accederet, ſi quis Bajas legere pergeret, nempe noſtras aquas inter omnes, quæ Bajarum nomine comprehenderentur, fuiſſe maximas, quod certe multi non concedent, nam cui notum non eſt:

Nullus in orbe locus Bajis prælucet amænis?

ut expendemus etiam Capite inſequenti. Hoc vitare abſurdum conati ſunt, qui Bajarum proxima cum Scioppio ſubſtituerunt. Verum quam temere reclamantibus omnibus codicibus? Quam barbare, quum proximus ad locum referatur? Quam inepte, quum eadem, quam modo notabamus ambiguitas relinquatur? Quæ enim eſſent thermæ inter tot noſtras Bajanis proximæ, ſi quis ſcitaretur, aqua hæreret, & ſenſus ipſe corrueret. Quidam hiſce difficultatibus deterriti poëtam de Campanis Bajis loqui affirmant, ſed Etruſcas undas appellare, quod noſtri Puteolis, Cumis, aliiſque Urbibus olim potiti ſint: ut pro explicandis Etruſcis Montibus apud Lucretium pariter quoſdam commentos eſſe mox audivimus. At illi omnes undas Calidas Bajanas eſſe volunt; Hi ſi hæc ratio quicquam valebit efficient omnes Etruſcas: Nam Tuſcos teſte Servio omnem fere Italiam tenuiſſe compertum eſt. Sunt apud nos aquæ Calidæ, & quidem primæ notæ, ut ex Varrone, aliiſque jam vidimus, nihil igitur neceſſe eſt ad Campanas confugere, atque Epitheta tam longe, ac jam inde a noſtro antiquiſſimo imperio mutuari. Sed quamvis Bajanis thermis Etruſcum Epitheton tribui poſſe concederem, tamen nodus diffi-

difficilior; ac prope inſolubilis reſtaret: Aquæ enim Cajæ ſub æſtivum canem, ſiriumque Sidus vere adiri non poſſunt, ut canit Tibullus, & morbos, mortemque ipſam creant, ideoque cautum eſt noſtræ Urbis decreto, ne ea tempeſtate aperiantur: Ad Bajas vero nullum ejuſmodi periculum, neque ſuſpicio, ut mihi, qui ex iis locis erant, ingenue faſſi ſunt. Teſtiſque eſt Valerius Martialis ſe eo tempore in iis fuiſſe l. 4. Epig. 57 ad Fauſtinum.

Dum vos blanda tenent laſcivi ſtagna Lucrini.
Et quæ pumiceis fontibus antra calent;
Tu colis Argivi regnum Fauſtine Coloni:
Quo te bis decimus ducit ab Urbe lapis.
Horrida ſed fervent Nemæi pectora monſtri;
Nec ſatis eſt Bajas igne calere ſuo.
Ergo Sacri fontes, & litora Sacra valete
Nympharum pariter, Nereidumque domus:
Herculeos colles gelida vos vincite bruma:
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Quod ſi Tibur cogitabat, ad id ſolum propter geminatos loci, & temporis fervores, non à timore ullo, aut periculo impellebatur. Nemo tamen eo quod noſtra balnea ſub Canem adiri non poſſunt, opinetur noſtram Urbem aëris gravitate laborare, ut quidam nuper ſcripſerunt: Nam ut omittam in quatuor Collibus ab antiquis illis vacuæ Italiæ, atque Europæ dominis eſſe conditam, quibus facillimum erat cognoſcere, atque integrum optimum quemque ſitum eligere; ad notum Ciminos habet montes, qui noxiam omnem vim frangunt,

ad

ad Boream vero, & Zephyrum ea latiſſima habet arva, quorum meminit Livius, magna cum Viatorum, ac duodecim millium incolarum frequentia. Aſt neque hac in re id mihi ſumo, ut meis dictis velim credant lectores: Accipiant igitur doctiſſimorum virorum Judicium, atque experimentum. Marcus Antonius Flaminius Forocornelienſis Carminum l.2 Ode 54 ad Octavium Panthagatum Cognomento Patrem.

Octavi Pater ad Viterbienſem
Seceſſum venias rogamus omnes
Polus, Parpalias, Priulus ipſe
Tuus Flaminius: nec eſſe Romæ
Tutum eſt, cum rapidas caniculari
Æſtu ſol furit, & Viterbi in Urbe
Iucundo fruimur tempore veris
Æſtate in media, nec ulla certe
Eſt Salubrior ora &c.

Audiendus tamen eſt Medicus celeberrimus, ne poëticis carminibus ſtare videamur. Andreas Baccius thermas haſce deſcribens l. 4 ſic loquitur: *Eas ob proprietates tam varias, tamque inſignes indicavit Tibullus* l. 3 Elegia - *Vos tenet Etruſcis* cetera. *Secutis vero temporibus aucta ſimul cum Viterbio harum Balnearum Celebritas eſt, quæ hac ætate præ ceteris ſummam ſibi laudem promerentur tam ob ſingulares ipſarum Virtutes, quam pro amœnitate undique agri, ſalubri aëre, atque commoda hoſpitalitate*. Hactenus Baccius, qui ex profeſſo, atque ex Phyſica arte de Univerſis Balneis accurrate diſſervit, cui conſonat Symmachus Decio ſcribens l. 7 Ep. 39

Etru

Etruſcos vapores Salubritatis cauſſa adire non potui rebus retentus urbanis. Si igitur ſub Canem ἐργώδεες ſunt; & θανάσιμαι, φαρμακώδεις quoque eſſe, & medendi vim maximam habere ex Hippocratis Aphoris. 5. Sect. 4. fatendum eſt.

CAP. XI.

Locus Strabonis ſeu melius Stratonis de iiſdem Aquis Calidis.

SED conferamus, quæ diximus cum Stratonis loco l. 5 Geogr., in quem idem plane error debacchatus eſt. Is ex profeſſo ubi Turreniam deſcribit, hæc habet: πολλὴ δὲ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν. τῷ δὲ πλησίον εἶναι τῆς ῥώμης οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τοῖς ἐν Γαίαις (vulgo Βαίαις legunt) ἃ διωνόμασαι πολὺ πάντων μάλιστα. Quid prius querar verſas ne Cajas in Bajas, an interpretum oſcitantiam! Sic enim latine reddunt - *Abundat etiam calidarum fontibus aquarum vicina Romæ Etruria, cujus thermæ non minus quam famoſiſſimæ illæ omnium maximæ Bajæ celebrantur*. Nam ut omittam ſenſus hujuſmodi repugnantiam (infans eſt enim, & Strabone indignum dicere Etruſcas Thermas non minores eſſe Bajanis, & ſtatim addere, Bajanas undas eſſe omnium maximas) illud moneo non bene redditum verbum εὐανδρέω, quod ſignificat *abundo viris*, ut ex lexicis conſtat, ex etymologia, ejuſdemque interpretis verſione alia, de Aquis

Cę-

Cæretanis, quam mox ſubiiciemus. Quare non ſit comparatio inter thermas Etruſcas, & Bajanas, quæ ſine ulla dubitatione multo celebriores fuerunt, ſed aſſeritur non minorem eſſe vim calidarum aquarum, quam hominum ad Aquas Cajas, quæ præ reliquis finitimis celebrantur, & ſic ad verbum interpretor. *Multa vero calidarum aquarum abundantia in Tuſcis: quum ſint autem prope Romam non minus abundant hominibus in Caiis, quæ maxime omnium celebrantur*. Vide ſis quam belle concinant Tibullus - *Nunc vero ſacris Cajarum maxima lymphis*. Hic maximas vocat: Strato vero μάλιϛα διωνομασμένας i. maxime celebratas. Videamus nunc quid ſignificet apud eundem Geographum εὐανδρέω: paullo ante quum de Cæretanis ageret eodem verbo uſus eſt, ac comparatione ſimillima: ἡ δὲ οὕτω λαμπρὰ καὶ ἐπιφανὴς πόλις ἴχνη σώζει μόνον. i. *tam ſplendida Urbs Cære Veſtigia ſolum ſervat*. εὐανδρεῖ δὲ αὐτῆς μᾶλλον τὰ πλησίον θερμὰ, ἃ καλοῦσι Καιρετανὰ διὰ τοὺς φοιτῶντας θεραπείας χάριν. *Abundant hominibus vero magis, quam ipſum Cære vicinæ Thermæ, quas vocant Cæretanas propter advenas valetudinis gratia*. Stratonis igitur intererat, quum Turſeniam deſcriberet, quę nam inter tot Balnea, quibus maxime abundat, celebriora, ſalubrioraque forent indicare, non cum exteris comparationem inſtitvere, ac ſaltare extra Chorum: fortaſſe melius, & clarius hæc perciperentur, niſi hujus eximii ſcriptoris textus turbatus eſſet pleriſque in locis, quod facile cognoſcitur hac in deſcriptione pręſertim, adnotavitque Franciſcus Patritius diſc. Perip. l. 3, & Ill. Fontaninus de Antiq. Hort. Camillus

dę

de Quintiis S. I., qui Neapoli nuper edidit elegantiſſimum Carmen de Inarime l. 2 p. 58, & noſtras Cajas celebrat, & à Baiis diſtinguit ex Strabonis teſtimonio: Nam addit in notis - *Celebres Viterbi Aquæ Cajæ .... de his Strabo l. 5, & Ioan: Annius in Comm: Antiquit.* Hæc ego ſæpe meo minime fretus iudicio cum viris eruditiſſimis contuli, præſertim cum Cl: P.Mag. Minorellio Caſanattenſi Bibliophilace: quum quadam die longum ſermonem exorſus, atque ambiguum certamen ingreſſus cum Ill. Bertono, & Fontanino hanc in rem plura argumenta congeſſi: Obſtabant ambo acriter, quum Ill: Paſsionæus, in cujus quæſitiſsima Bibliotheca hæc agitabamus, leniter mihi manu demulcens humeros, ac ſubridens, de Annii fece, inquit, iſta hauris. Minime, inquam, ita vivam, nam Annium non modo non legi, ſed μηδὲ ἔχω παρ' ἐμοί. Ipſe interim pro ſua in me benevolentia favere ſe meæ ſententiæ ſimulabat: ne ego ſolus, & ætate, & eruditione minor conciderem animis. Age, inquit, ſume illum Strabonis librum (ſimulque indicavit) primæ porro notae, & primis typis excuſum Venetiis 1472. Parui ego quidem, ſed lente: verebar enim ne mihi contraria eſſet lectio, ut in Manutii græca editione, quam paullo ante conſulueram, plane acciderat. Sed quum locum l. 5 inveniſſem, & præter ſpem Gajas græcorum more, non Bajas reperiſſem, repente ago alacrior factus: concluſum eſt, inquam, nec dubitari amplius poteſt. Legite, ac veſtris oculis cognoſcite: Liber hic apud tuos Venetos Clariſ. Fontanine, ac multo ante, quam quiſquam meorum

Civium hiſce de rebus in lucem prodiret, excuſus eſt. Hic me omnes taciti intueri, & tantum ponderis meæ ſententiæ additum, ut ad omnem fere controverſiam de Annianis Commentis dirimendam divinitus oblatum volumen illud videretur.

C A P. XII.

De Sede Urbis Agyllinæ: Æneas non Cære petiit, ſed noſtras Urbes. Virgilii locus difficillimus explicatus.

PRæter Strabonem, Tibullum, alioſque, videamus nunc an Viterbienſes Virgilium probe explicent, atque intelligant: locus expedendus eſt libro octavo Æneidos.

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata vetuſto
Urbis Agylinæ Sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Etruſcis.

nemo unus interpretum eſt, quin hic Cære deſignatum exiſtimet, quæ Agylla prius dicebatur. Annius ſolus longe aliter explicat: optime quidem, ut videbimus, ſed adeo rudi ſtilo, ac craſſa Minerva; ut in optima cauſſa cecidiſſe videatur. Nos igitur totum, integrumque hoc onus ſuſcipimus, aſſerimuſque fidenter noſtram Urbem hic à Marone deſcriptam, atque ingenioſiſſime, eruditiſſimeque expreſſam. Jam Etruriam ubi Viterbum eſt demoſtravimus.

Ly-

Lydos Torebo Duce Tuſcaniam condidiſſe eodem loci ex Lycophrone, aliiſque vidimus: ibi quoque Montes Etruſcos, & Fontes ex Lucretio, & Tibullo eſſe oſtendimus, ut reliquos ſileam. At Cære non à Lydis ædificatum eſt, ſed à Pelaſgis Theſſalis ab iiſque habitatum cum Aboriginibus ſociis ac Liguribus, ut Dionyſius, Servius, Stephanus, Strabo, Solinus, & Lycophron ipſe teſtantur. Præterea non in jugis Etruſcis, ſed prope inferum Mare. Ipſum Agyllæ nomen græcam originem ab ἀγυά, quod vicum ſignificat diminutive præſefert. Cære enim à noſtris, poſtquam quum Theſſalis, & Liguribus bellum geſſerunt, ut narrat Strabo, & Stephanus, illamque occuparunt, dictum eſt à קרת Cereth, quod oppidum ſignificat, ut teſtatur Buxtornus in lexico Hebraico, non à χαῖρε, ut grammatici perſiani pſittaci more dixerunt. Verum quidem eſt Turrhenos etiam nomine Pelaſgorum deſignatos, ſicut aliæ quoque gentes diverſiſſimæ, ut notat Montfaucon in diſſertatione de priſcis Græcis, & Latinis: Palmerius græciæ Antiquæ l. 1, aliique ex Strabone, qui Pelaſgos gentem vetuſtiſſimam vocat per univerſam Græciam, addere poterat, & Italiam. Hinc toties legimus Pelaſgi Veteres, Pelaſgi divi, Pelaſgi Archades, Pelaſgi Cranai, Pelaſgi Ægiales, Pelaſgi Leleges, Pelaſgi Tyrrheni: quia hoc nomen commune erat multis populis à פלג, ni fallor, quod etiam adnotatum video à Cla: Salmaſio de Hellen:, quod *diviſit* ſignificat, quodque mirum in modum cum ſacris litteris, ac Phaleg concordat. Itaque Pelaſgi Theſſali, ut vocat Stephanus, ubi de Agylla diſſerit, diverſiſſimi ſunt à Pelaſgis Tyrrhenis. Cære igitur Urbs neque in jugis Etruſcis,

neque à Lydis condita eſt, neque Saxo fundata vetuſto: immo neque Tyrrenica Vrbs dici poteſt, nam ut ex Strabone, & Plinio videbimus, quum de Vetulonia ſermo erit, ſolum Populonium ex Vrbibus Hetruſcis in littore fuit. Minime itaque dubium eſt, quin Virgilius more ſuo Etruriæ noſtræ Metropolim intellexerit in iis Carminibus. Quod etſi maxime arduum coniectura fretos nos moliri prudens lector deſpiciat, quum rerum noſtrarum munumenta pauca ſuperſint; non tamen veremur, ne noſtra ratio probetur doctis hominibus, quum habeamus ipſum Virgilium noſtræ explicationi patrocinantem: Is enim Turrhenam ſedem Lavinia Arva appellavit, quia eò ex noſtra Civitate Coritus domicilium tranſtulit l. 7.

Hinc illum Coriti Turrhenæ à Sede profectum.

ſit etiam Amſancti Vallem deſcribens *Cocyti ſedem* dicit libro eodem, quaſi illuc manes, inferique ſe deportaſſent. Hæc non animdverſa à grammaticis optime notavit, atque imitatus eſt Silius Virgilianæ φράσεως ſolertiſſimus æmulator: quum enim de Bajarum Vrbe verba faceret l. 8 *ſedem Itaceſiam* nominavit, quia ibi Vlyſſis ſocius ex Itaca cum ſuis conſedit. Certe Virgilius Theſſalorum nunquam meminit in iis carminibus, ſed juga Etruſca, gentem Mœoniam, Lydiam juventutem & Coriti Vrbes ſemper repetit, quæ omnia noſtram Civitatem unice deſignant.

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ Sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos Rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſævis tenuit Mezentius armis.

Quid

Quid memorem infandas cædes. cetera.
paullo poſt Armatos Cives ſic commemorat:

At feſſi tandem Cives infanda furentem
Armati circumſiſtunt, ipſumque domumque
Obtruncant Socios, ignem ad faſtigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapſus in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis.
Ergo omnis furiis exarſit Etruria juſtis
Regem ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt. cetera.

& paullo poſt etiam ..... *O Mæoniæ dilecta juventus,*
Flos Veterum Virtuſque Virum ......

Et deinde:

Ipſe oratores ad Me, regnique Coronam
Cum ſcepro miſit, mandatque inſignia Tarchon
Succedam Caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.

Et ſub initium libri 9 de Ænea Iuno ſic queritur:

Nec ſatis extremas Coriti penetravit ad Urbes,
Lydorumque manum collectos armat agreſtes:

Hæc certe Vrbi Agyllinæ nullatenus poſſunt convenire, & ſatis ſit illud: *Saxo colitur fundata vetuſto*, &c. - *Hanc multos florentem annis*, quæ de Cære dici non poſſunt, nam circa belli Trojani tempora, hoc eſt non multo ante Æneæ adventum, à Theſſalis, ut diximus, originem traxit, quorum nomen ante ea tempora fuit inauditum, & ideo ab Homero minimæ recenſentur in celebri populorum catalogo ſub finem libri ſecundi Iliados, ex quo Urbes, ac populi de Antiquitate certantes lites dirimebant teſte Euſthatio, & Porphyrio. Theſſalorum quoque recentem originem notavit Vellejus Paterculus l. 1, ut Scaligerum prætere-

ream.

ream in notis ad Euſebium. Adde Achillem, qui ſive Phthius, ſive Lariſſæus fuit in ea parte certe natus erat, nunquam Theſſalum ab Homero appellatum. Ille itaque Contemtor divum Mezentius noſtræ Etruriæ Lartes erat, ideoque non Agyllæ, ſed in noſtra vetuſtiſſima Urbe jura dabat, ut ex antiquiſsimo Epigrammate videbimus, ab eaque fuit expulſus. Dicebatur vero Sedes Vrbis Agyllinæ, quia tunc Agyllæ Lucumo, ſeu Princeps XII noſtris Vrbibus præerat, & Civitatem noſtram Cærites cum Mezenzio, & ſummam Imperii in Etruria Metropoli moderabantur: Sic Tolumnius ex Veiis à Livio, & Floro: Porſena à Cluſio à Dionyſio, & Plutarcho Lartes Etruriæ dicti ſunt: ex que quiſque intelligere poteſt, quod ſicut ex alia, atque alia Vrbe annuum ut opinor Lartem eligebant, ſic ad Fanum Volturnæ, ubi concilia agitabantur, ut ait Livius, Sedes imperii fixa, & ſtatuta erat, noſtramque Metropolim exteri pro belli, & pacis negotiis petere cogebantur. Ibi faſces XII, ſecures, ac Sella Curulis, ut teſtis eſt Silius, enituere ſupremæ dignitatis inſignia. Hunc noſtræ Civitatis principatum, etſi ex aliis Vrbibus lartes quoque crearetur, quiſque ſatis percipiet, ſi memoria repetet, quæ ſcribit Livius l. 9 c. 25: Nam quum Arretium, Cortona, & Peruſia Hetruſcorum populorum capita eo tempore impetraſſent inducias à Q. Fabio in annos triginta, tamen paullo poſt ſub eodem conſule abundantes Etruſcorum opes fractas ad Vadimonem narrat, atque Etruriam egregie perdomitam. Quonam enim modo fractæ vires, quo pacto Etruſci perdomiti, ſi tantarum ſalus Civitarum non periclitata eſt, & ſolum aliquanto poſt Peruſia induciatum rupit fidem, & pœnas dedit?

dedit? Fractæ vires, ſuntquia prima,& præcipua Urbs noſtra Romanis ceſſit. Illæ enim Civitates ea tempeſtate Capita dicebantur, quod Lartes ex iis per ordinem, ac per vices, ut putat Cluverius l. 2 Ital. Antiq. p. 454, ſeu ſorte eligi debebant: penes nos tamen totius Imperii ſumma, ac Sedes erat. Enim vero ſi Etruriæ regio Æneæ fœdere celebratur, ut ait Martianus Capella, minime dici poteſt Trojanum Ducem cum Cæritibus fœdus percuſſiſſe. Sed audiamus veridicam Caſſandram apud Lycophronem, quæ non ſolum illum à noſtris, ſed etiam ab aquis calidis, quas ipſe Cluverius Vetulonienſes fuiſſe docet, exceptum iri vaticinata eſt: contra vero non Cære, ſed illius ſaltus aditurum

πάλιν πλανήτην δέξεται σε Τυρσηνία
Λυγχεύς τε θερμῶν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν
Καὶ Πισσ', Ἀγύλλης τε πολύρρηνοι νάποι.
Rurſus errantem ſuſcipiet te Tuſcania,
Et Lyncheus calidarum fluentum emittens potionum
Et Piſſa, Agillæque multos agnos habentes ſaltus.

Adnotandum hic eſt calidas aquas bibendo utiles eſſe apud nos, ut omnes, qui de Thermis noſtris ſcripſerunt, affirmant: & quanquam apud Virgilium multi legant: *Fama volat ire Equites Turrheni ad littora Regis*, non *littora*, ſed *limina* veteres Codices, ut in variis lectionibus adnotatum videmus, & ratio ipſa legendum eſſe, convincunt. Sed quò iter Æneas fecerit mathematicorum more demonſtrandum eſt: Nam primo ab Evandro digreſſus toto cum comitatu prope Cæritis amnem deſcibitur l. 8: at quis ignorat fluvium hunc nempe Minionem, ut Servius ipſe interpretatur

pretatur trans Cære inter Centumcellas, & Gravicas effluere, initiumque ducere prope Barbaranum? Hoc notum eſt, atque extra omnem controverſiam. Audiamus tamen Numatianum. l. 1 v. 223.

Iam Cæretanos demonſtrat Navita fluctus:
Ævo depoſuit nomen Agylla vetus.

poſt deſcriptum Caſtrum Inui, Centumcellarum ſtationem, & Taurinianas Thermas ſic ſequitur:

Pauliſper fugimus litus Minione vadoſum
Suſpecto trepidant boria parva ſolo.
Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus. cetera:

Præteriit igitur Agyllam Æneas, nec ad ipſam iter inſtituerat: quis enim tam ſtultum illum fingat, ut Cæretanos à Mezentio ipſorum Cive ſtare non cognoſceret? Virgilii igitur iter ſequamur. Is poſtquam prope Minionem Æneam deſcripſit, mox ſub finem ejuſdem libri octavi Turrhenorum Caſtrorum meminit; deinde non longe ab Etruſcorum exercitu Venus Mater prope fluvium Egelidum ſe filio præſentem obtulit: Poſtea in pricipio libri noni extremas Urbes Coriti penetraſſe illum Juno queritur: Tandem cum Tarchonte fœdus percuſſiſſe legimus libro decimo: In noſtro igitur agro aquas illas calidas eſſe, ſeu τῆς Τυῤῥηνίας ῥεῖθρον τῶν θερμῶν ποτῶν, ut ait Lycophron, ſupra Minionem, qui noſtri Agri finis eſt, nemo ire poteſt inficias. Hic igitur Tuſcaniam, hic ſedem Agyllinam, hic Urbes Coriti, & Lydorum Manus, atque Concilium extitiſſe fateri neceſſe eſt. Quare turpiſſime, labuntur qui Æneam Piſas petiiſſe opinantur, à quibus ſicut ab aliis finitimis Urbibus auxilia accepit ſecundum Virgilium: Nam Lycophron

phron ad Piſſam venturum ſolum dixit ex perſona Caſſandræ, quam geminato SS ſcribit, ſicut & alibi in rem noſtram.

Αὖθις δὲ κίρκοι Τμῶλον ἐκλελειπότες
Αγύλλαν αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν.
δεινὴν λιγυστινοῖσι
λόγχης ἐν ὑσμίνῃσι μίξαντες πάλην.
Εἷλον δὲ πίσσαν, καὶ δορύκτητον χθόνα
πᾶσαν κατειργάσαντες τὴν ὄμβρων πέλας.

apud Halicarnaſſeum quoque, ut ſupra adnotavimus Cap. 7, ſic legi debet. Hujus Urbis ager nunc quoque *Peſcia* dicitur, ut videre eſt in tabula Patrimonii, quam edidit Ametus, & apud Leandrum Albertum. Ea proxima noſtro Agro fuit, ſicut ex alia parte Cære, ſeu Agylla. At Piſæ cum Caſſandra canebat vix condi cœptæ erant. Præterea certum eſt Piſſam cum Cære, & Saturnia à Theſſalis pelaſgis, atque Aboriginibus fuiſſe conditam, atque habitatam, ut ex Lycophronis græcis carminibus modo vidimus. Immo non ſolum ante Troica tempora, ſed etiam ante Lydorum adventum florebat, atque à Ligyſtinis, ut ait Lycophron, tenebatur. Piſarum vero conditores Cato apud Servium in l. x. ad verſum *Alpheæ ab origine Piſæ* cum multis multorum opinionibus Thraconem Tyrrheno Oriundum, & Epeum Equi fabricatorem enumerat: Illius vero incolas nominat Teuthones, & Teutham, qui ad bellum trojanum profectus eſt, teſte Pauſania in Arcadicis, quod non animadvertit Cluverius, & Peleponneſios, qui circa tempora Iliaca floruerunt. At de Theſſalis, & Aboriginibus nullum omnino verbum facit. Quæ ſi Cluverius, aliique animadvertiſſent, non has duas Urbes profecto confudiſſent.

fudiſſent. Quod ſi Maro Egelidum flumen commemorat, & Lyconphron calidum fuiſſe canit, non contrarii ſunt, ſed incredibile eſt, quam bene cum veritate conſentiant, nam prope Lyncheum ſeu *Caldano*, ut nunc vocant, in noſtro territorio eſt alius fluvius, qui nunc *Freddano* appellatur, & cum illo poſt brevem curſum ſeſe commiſſet, ubi Axii Caſtelli veſtigia conſpiciuntur. Hinc intelligimus quare Iris cum Turno loquens vocaverit extremas Coriti Urbes locum, quem petiit Æneas, ubi Lydos armavit, quia inter xv Etruriæ noſtræ populos Fanum Volturnæ, ubitotius gentis concilium erat, in ultima parte ſitum in Cimini jugo optime noverat. Quare qui Coriti Urbes Cortonam intelligunt, profecto ſomniant. Fuit Cortona Croton quoque dicta, & Cyrthonium, & Cothornia, ſed Coritus nunquam: Nam quonam modo hoc nomen à Corito habere poterat, ſi Dionyſius antequam à Romanis caperetur Crotonem appellatam fuiſſe teſtis eſt, & ſi Coritus nunquam ibi regnavit: immo nec Tarchon: ubi enim apud Silium libro octavo de Bello punico legimus.

Lectos Cære Viros, lectos Cortona Superbi
Tarcontis domus, & Veteres miſere Graviſcæ:
Nec non Argolico dilectum litus Aleſo
Alſium, & obſeſſæ campo ſquallente Fregenæ;

nos non Cortona, ſed Tarcona, vel Tarquina cum Paullo Merula libro quarto Coſmographiæ legendum cenſemus, præſertim quum Ταρκουίνα ſit apud Ptolemæum, quod non aliarum modo Vrbium Graviſcarum, Cære, Alſii, Fregenarum (non Fregellarum), quæ ſimul deſcibuntur, vicinitas abunde probat, ſed etiam quod narrat Strabo,

Strabo; & Stephanus Tarcontem, non Crotonem, ſed Tarquiniam ædificaſſe, quodque ſcripſit Halicarnaſſeus Cortonenſes Helleſpontiaca dialecto fuiſſe uſos à Turrhenis noſtris diverſiſſima: Nec quiſquam opponat Silium eundem: nam illud l. 5.

Arreti muros, Coriti nunc diruat Arcem.

infidum pariter teſtimonium eſt: jam enim plus ducentis ab hinc annis Fran: Philelphus aliter legendum ex vetuſtiſſimis MSS. adnotavit, & Cortonæ hinc diruat arcem emendandum, ut refert Maſerius ad Val: Flaccum libro tertio verſu 98, & variorum Notæ in Silium ſtudio Drakeborchii edit: Traject: ad Rhenum. An vero Coritus Vrbs, & Mons fuerit diſquirit egregie antiquæ Hetruriæ novus Metator Phi. Cluverius, putatque non ſolum contra Catonis fragmenta ἄδηλα, ſed etiam contra Servium locum nullum hoc nomine fuiſſe, & ſolum in mente poëtarum inveniri. Verum Coritum, quem Coritam, & Coritinientam etiam vocarunt veteres, prope Montem S. Angeli reſtatur extitiſſe non modo Epiſtola Deſiderii, ſed veſtigia, & nomen, quæ adhuc extant, & verſus Juvenalis ſatyra octava: *Sed Venale pecus Coritæ*, ubi Anonymus antiquus commentatur - *Denotat Equos Tuſcos velociſſimos ex Corita Civitate*, quod & notavit Dempſterus l. 3 c. 73, debueratque hoc ediſcere Cluverius ex Ptolemæo, qui Cortonam, & Coritum diviſim, ac diſtincte recenſet in Mediterraneis, & diverſis numerorum notis, longaque plurium urbium interpoſitione disiungit.

C A P. XIII.

Varronis locus explicatur de Vertumno Etruriae Deo: Volturrenæ, & Voluſirenæ nomen expenditur ex antiqua inſcriptione.

SED veniendum tandem eſt ad noſtram Tetrapolim, quæ quanto celebrior extitit, tanto infenſiores ferro ab antiquo, & inſtructos calamis noſtris temporibus hoſtes experta eſt. Varro libro quarto L.L. narrat Romæ eſſe Cœlium montem à Cœlio Vibenna Tuſco duce denominatum, qui Romulo auxilium tulit contra T. Tatium: poſtea quum in ſuſpicionem noſtri veniſſent deductos fuiſſe in planum, atque in vico Tuſco ſedem fixiſſe, *ab eis* inquit, *dictus eſt Vicus Tuſcus, & ideo ibi Vertumnum ſtare, quod is Deus Etruriæ*. Jam ſupervacuum puto admonere *Italiæ Urbes particularia quædam* (ſunt verba Em: Noriſii in Cænotaphiis Piſanis capite quinto) *numina coluiſſe, eorumque ſacris proprios Pontifices fuiſſe operatos, unde municipalia ſacra apud Feſtum, & ſua Cuique Civitati religio, ut ait Cicero pro Flacco*: Hinc Nortia Volſiniis, Juno Faleriis, atque alibi alia, ut ſcribit Tertullianus, quem laudat idem Noriſius. Fanum Dei in Volturna, quem Latini Vertumnum, noſtri ni fallor Janum dixerunt, ubi nunc Viterbum eſt, extitiſſe cum fatetur Cluverius, Cellarius, Ortelius, aliique bene multi cum Iacobo Nardo Florenti-

no

no, tum ex Livio notum eſſe poteſt l. 4 cap. 12, qui ſic ſcribit - *Concilia in Etruria ad Fanum Volturnæ agitata*. Atque hic adnotandum eſt, ut quanta Veritatis vis ſit intelligatur, quum idem Cluverius, & reliqui Antonini fragmentum illud, quod Annium σσῦν μούσαις in Parnaſſo ſomniaſſe dictitant, mirum in modum averſentur, & diris devoveant, in quo Caſſiano itinere prope noſtram Urbem *Sutrium*, *Lacus Elbii*, *Iuga Ciminia*, *Fanum Volturnæ* digeruntur; de hoc ultimo, quod caput erat, totiuſque Anniani moliminis ſcopus, nihil in contrarium protulerunt, immo rejectis reliquis, belliſſime, planiſſimeque aſſenſi ſunt, atque in Annij ſententiam acer ille Cluverius videns, prudenſque deſcendit. Verum nos neque Annii ſuffragio, neque his ſcriptoribus indigemus. Extant clariſſima monumenta apud nos, quæ hoc teſtantur, & ut omittam Summorum Pontificum diplomata ad Moniales S. Mariæ in Volturna, quæ ſunt in Archivo Communi, Sacræ enim Virgines Ordinis S. Auguſtini ibi degunt, quod & notavit Dominicus Magrius in Notis ad Lexicum Ferrarii; apud Canonicos S. Angeli de Spatha extat chirographum anni milleſimi centeſimi quigenteſimi tertii, ubi *Sanctæ Mariæ de Bolturno* juxta barbariem illorum temporum, & Ugonis *de Torrena* mentio fit. Equidem tota noſtræ Urbis pars, quę à Campo Faulæ, ad Arcem, & antiqum portam Suſam, ſive Sonſam, quæ etiam Equeſtris dicta fuit, pertinet, Volturna, ſeu Volturrena dicitur: ut videre eſt in noſtræ Urbis topographia edita Amſtelodami apud Janſonium in Theatro Celebriorum Urbium Italiæ, aliiſque typographis. Quum Romæ eſſem

anno

anno 1720 litteræ ad me ab Ill. Vincentio Telonō, atque ad Ill. Marchionem Maidalchinum,&Comitem Buſſium, in quorum Viridario foſſum eſt, miſſę fuerunt, quibus pavimentum muſivo opere elegantiſſime, ſumptuoſiſſimeque elaboratum deſcribebatur in hac parte repertum, quod ad aliquam partem illius Celeberrimi Fani, in quo compluries agitata Etruſcorum Concilia ſcribit Livius, pertinere pro certo habeo. In eo præter alia pulcherrimæ ſunt imagines candelabrorum, ac mitrarum cum vittis pendentibus: in medio elegantiſſima facies Iſidis Ægyptiæ, ut puto, quæ cum ſerpentibus in capite pingitur, ut videre eſt apud Ill. Philippum à Turre de Mitra cap. 3 ex Æliani, aliorumque teſtimonio, & apud Io: Oliva in Marmor Iſiacum cap. 5 & 6. Natalis Comes l. 8. Mythol: cap. 18 Edit. Patav. 1616 refert illius imaginem cum comis anguineis. Verum non ibo inficias caput illud Meduſæ ab omnibus exiſtimari. Quidquid id eſt: Sphinx ibi certe conſpicitur ab Ægyptiis culta, & Pavo, in quam Argus verſus fuit, cui Iſis cuſtodienda fuit tradita; Sicut Curetibus Epaphus ipſius filius: Præterea hierax, ſeu accipiter ſerpentem complexus, qui pariter ad eam referuntur, ut notat idem Ælianus l. x. cap. 31, & 32., Natalis Comes; & clariſſimus Montphaucon l. 3 Antiquit. to: 2, qui hujus noſtri pavimenti ſchema refert to: 2 Supplementi ad opus Antiq. l. 2 de Templis cap. 6, qui etiam Meduſæ faciem eſſe aſſerit quidem, ſed aliarum etiam Dearum ſymbola ibi fatetur occurrere, ſicut Ill. Franciſcus Blanchinus Romanorum numinum ſymbola eſſe dicit, nullum tamen indicat nominatim in Inſcrip. Sepulcr. Libertorum Auguſti pagina ſeſta.

Quanvis


Quanvis vero quidam opponant ex Plinio l. 36 c. 25 Emblemata, ſeu aſarota parvulis cruſtis ſub Sulla incepiſſe, tamen multo ante opera ejuſmodi ex capite primo libri Eſther, quod etiam notavit Ciampinus, & Goërrea de Antiq. Biblicis in Theſauro Antiq. Ro:, fuiſſe inventa certum eſt. Lucilius, qui ante Sullana tempora floruit eorumdem meminit.

Quam lepidæ lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes
Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.

Quidam non valde antiquum illud opus credunt, ſed opinione falli hoc uno argumento oſtendam: Supra enim congeſtos lapides, ac rudera ruinoſorum parietum, quæ pavimentum illud late operiebant, reperta ſunt cadavera cum lacrymarum vaſculis, ac tegulis, quem morem apud Ethnicos viguiſſe ex Ovidio, aliiſque oſtendit Kirchmannus de funeribus l.3 c.12. Manutius libro de legibus Ro: c. 16. Sertorius Vrſatus in Monum: Patavin., & Sponius in Miſcell. Erud. Antiq. Sect.9 rerum funeralium. Si igitur quum ea cadavera ibi ſepulta ſunt ante Chriſti nomen iis locis allatum, illud tam eximium opus jam antea dirutum, ac veſpillonibus, Civibuſque ignotum erat; profecto vetuſtiſſimum fateri, atque Etruſcis antiquis acceptum referre neceſſe eſt. Quibuſdam nimis elegans videtur, ac ſupra priſcam Tuſcorum artem: Sed meminerint noſtros præſertim artificioſis in rebus ingenioſiſſimos, celebratiſſimoſque fuiſſe, quod erudite, ac copioſe demonſtrat Dempſterus, adeo ut Pherecrates poëta vetuſtiſſimus apud Athenæum τῶν τυῤῥηνῶν ἐργασίας ὡς φιλοτέχνων laudet, & Plinius re-

referat l.34 c.7 ſigna Tuſcanica per totam Europam, atque Aſiam à Romanis fuiſſe diſperſa. Idem Plinius libro inſequenti c.3 Cære fuiſſe picturas Vrbe antiquiores teſtatur, & Vitruvius l.2. c.7 præcipuum elegantiæ decus enituiſſe notat in operibus quibuſdam apud Ferentum noſtrum repertis.

Sed ad Volturnam redeamus: Annius hoc nomen à Vol, & Turrhena ortum dicit, quam Antiquam Surrenam, & Sorrinam etiam dictam à noſtris latinæ linguæ inſuetis adnotavimus ab Athur, ſeu Aſſur, vel per aphæreſim Tur, ſeu Sur. Hac de cauſa aliquando Vol, & Tur noſtri componebant, quandoque Vol, & Sur, interdum etiam Vol, & Aſſur. Hinc Vol-Aſſurena, & corrupte Voluſirena ſcriptum invenimus in tegula, quum cadavera ſupra dicta detecta fuerunt.



Quo ex monumento pulcherrimo illud obiter primo notandum præter Voluſirenæ nomen fuiſſe prædia L. AELII VERI, qui fuit ex gente Annia, & figlinas Matrinia-

nianas. Vicus Matrini non longe ab iis prædiis aberat, quare hae figlinæ inter vicum illum fuerunt, & Horchiam. Quis igitur Annii fidem non admiretur, atque eruditionem? qui etſi hanc tegulam non viderat, ſicut nec inſcriptionem viæ Anniæ, quam retulimus capite primo, tamen in Iſtitutione vigeſima ſecunda Annios Veros Antiquiſſimos apud nos refert: additque hæc verba - *Ætas noſtra Prædia Annia, & Fora Annia vocat in regione Horchiæ.* Volturnæ igitur Deum ex eo Fano à Coelio Vibenna Lucumone, ſeu Larte Etruſcorum allatum fuit ex Propertio l.4 eleg.2, ubi apertiſſime legimus Vertumnum Deum ex Tuſcis Romam deportatum cum valido militum auxilio tempore, quo Lucumo (libri Lucumonius, & Lycomedius habent, ut obſervat Latinius noſter in MSS.) contudit arma Tatii Sabinorum Regis.

Quod mirare meas tot in uno corpore formas:
Aſpice Vertumni ſigna paterna Dei.
Tuſcus ego: Tuſcis orior, nec pœnitet inter
Prælia, Vulſinios deſeruiſſe focos. & in fine
Tempore quo ſociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati;
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugæ.

Hic notandum eſt Propertium Vulſinios focos commemorare, quod optime noſtro agro quadrat, qui Vulſinienſi finitimus eſt. Virgilius enim Achillem v.g. quamvis Phthium ſæpe dicit Lariſſæum: Didonem Tyriam appellat Sidoniam; ſicut Æmatios campos Pharſalum,

& Philippos frequenter confundunt Poetæ; hi namque, ut Servius adnotavit in librum octavum Æneid. v.165, vicinas Urbes pro una habent. Sed hæc pueris nota ſunt. Coeliam Gentem, ſeu ut in numiſmatis legimus Coiliam à Vibenna Duce Tuſco, ut ait Varro, ex Etruria fuiſſe quoque ſcribit Vaillantius, & refert etiam numiſmata to. primo de Famil. Rom.. Fanum Volturnæ apud nos extitiſſe jam certum eſt: Extat inſcriptionis pars, quam referunt Reineſius Cl.2: 43, & Sert. urſatus in Monum. Patav. l.1. Sect.9, quæ ſic habet.

ELIVS LARTIS F
RVM CIMINIVM
EA PECVNIA VECTIGALIA
ONSTI ET IN ANNO
IS GRAVIS... Q. L. DCXXV.

Minime enim dubito, quin Cœlius Lartis filius legendum ſit. Unde Coeliam gentem non ſolum apud nos tunc principatum habuiſſe, ſed Ciminiam viam, ubi Forum erat, quod Roncilionem puto, non alio quam ad noſtram Urbem duxiſſe cognoſcimus. Nam Romani veteris πολιυίας nomina, atque officia, imo etiam leges poſt noſtras Urbes devictas permiſerunt, quod adnotavit Strabo de noſtris loquens: Τύλλιος δὲ καλαλύελαι τὸν πρὸς αὐλοὺς πόλεμον, ταῖς μεν ἄλλαις πόλεσιν πολιτέυεθαι ἀποδοὺς ωἷ πρόλερον I. *Tullius pacem eis dat, aliis quidem permittens Urbibus, ut ſuo jure vivant*. Quod idem obſervat Halicarnaſſius l.3. Antiq.: Hac de cauſſa Moecenas editus regibus, & Turrhena regum progenies apud Martialem; Propertium, Albinovanum, Silium, & Horatium toties dictus eſt, ſed

ſed hàc de re mox fortaſſe plura. Quod ſi Volturnæ Deus à Propertio, & Latinis omnibus Vertumnus dictus fuit, id factum opinor, quod à Tuſcis vocibus, ac lingua abhorrebant, & quod Tiberis ei factis Sacrificiis verſus fuit, ut ex Servio colligimus in l. 8. Æneid. ad ver. *Ergo iter inceptum* cetera. Ubi Vertumno factis ſacrificiis (non Neptuno) legendum eſſe optimæ, & antiquiſſimæ editiones monent. Sed de Vertumni nomine audiamus Propertium.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada ſalſa ſonos.
Sed poſtquam ille ſuis tantum conceſſit alumnis
Vertumnus verſo dicor ab amne Deus.

quod & Ovidius libro 6. Faſtorum v.210. teſtatus eſt.

Nomen ab averſo cœperat amne Deus.

Tuſcus igitur Deus ex Volturna novum induit nomen, & Vertumnus, ideſt vertens amnem dictus eſt. Quidam ſcriptor non ignobilis Volturnam nomen proprium, ac Deam eſſe credidit: ſed quam deceptus ſit quiſque videt. Reſtat nunc ſolum, ut de Franciſco Jannotto Tuſcanellenſi aliquid addamus, qui in ἀυτογράφοις parte prima contendit Fanum Volturnæ non Viterbi, ſed prope Tuſcanellum extitiſſe, ubi locus eſt, qui Pantalla dicitur: Is à græculis quibuſdam Romæ didicerat, quos eximie laudat, πάντ' ἀλλᾶ idem ac Vertumnum ſignificare. Sed nos reſpondemus neque illud verbum exprimere, quod ipſe contendit, ἀλλάω enim non dicitur, ſed ἀλλάττω, neque ſi diceretur Vertumni nomen redderet, quod apud Latinos Vertens amnem ſonat; apud Etruſcos vero

ro longe diverſiſſima ſignificabat: poſtremo negāmus noſtros græco ſermone fuiſſe uſos, ideoque ridiculum eſſe ex eo antiquorum nominum originem inveſtigare; atque obtrudere.

CAP. XIV.

Livii, ac Plinii locus de Volturrenis reſtituitur à nemine bene notatus: Vejentes ab Etruria diſtincti.

Sed ecce iterum T. Livius venit explicandus. Locus eſt libro decimo capite ſeptimo: *Gn: Cornelio Scipioni, cui Etruria provincia obvenit, ſegne bellum, & ſimile prioris anni militiæ expectanti, hoſtes ad Volaterras inſtructo agmine occurrerunt: pugnatum majore parte diei, magna utrinque caede... Lux inſequens Victorem, victumque oſtendit: Nam Etruſci ſilentio noctis caſtra reliquerunt... Conſul in Faliſcum Agrum cum plurima præda copiis reductis, quum impedimenta Faleriis cum modico præſidio reliquiſſet, expedito agmine ad populandos hoſtium fines incedit.* Qui latinæ linguæ magiſterium ſibi ſumunt, hic nihil adnotant: At Viterbienſes ad Volturnam, vel Volturrenam, non ad Volaterras legendum eſſe pronunciant: quæ minimum quinque dierum iter abſunt à Soractis regione: Non codices, non varias lectiones proferre opus habent: adverſarios ipſos conſulunt: Judicent ipſi an ſine cibis, aliiſque rebus neceſſariis; quæ impedimenta dicun-

cuntur Romani per medios hoſtes, ac tot agros infeſtos tam longo itinere cum levis armaturæ militibus à Faliſcis ad Volaterras ire potuerint. Nemo eſt, qui hoc ſibi ſuadere poſſit, niſi ſi fingat illos ope dædalea volare potuiſſe. Jam vero quis non videat etiam Plinii locum libro tertio capite quinto eſſe foede corruptum, & ſic eſſe reſtituendum: *Volturreni cognomine Etruſci* (non Volaterrani), *Vulſinienſes in eadem parte*, ut Donzellinus, Albertus, Paullus Merula, aliique adnotarunt? Quidam libri MSS. Volterrenos habent, quæ lectio quamvis videatur anomala confirmatur ab antiquiſſimo codice, ut datis litteris Nerito ſignificavit mihi Eruditiſ. Petrus Pollidorus. Verum res ex ſe ipſa ſatis conſtat, nam ſi Vulſinienſes ſunt in eadem parte cum his Etruſcis, ut habent emendatiſſimi libri, & pleraque MSS. volumina, quæ videri poſſunt in noſtra Bibliotheca Vaticana, certe Plinii locus de Volaterris intelligi, aut explicari nullo modo poteſt. Huc accedit, quod Colonia Volaterrana lege triumvirali eſt aſſignata, ut ait Frontinus, & hujuſmodi Urbes ſeorſim recenſere, ſeu diſtinguere profeſſus eſt, & promiſſi fidem præſtitit Plinius *coloniarum mentione ſignata*: ut ait ſub initium ejuſdem capitis. Non igitur Volaterrani, ſed Volturreni cognomentum Etruſcorum habuerunt: quod quamvis XV noſtris Urbibus, noſtroque agro proprium eſſet, tamen Volturnæ Fano, quod primum, atque antiquiſſimum foret, καθ' ἐξοχὴν tribuebatur. Hinc *Vejentes ex Etruria accito Exercitu* apud Livium legimus libro ſecundo cap. 28: At ſæpe etiam ait auxilium petitum ad fanum Volturnæ, ut videmus libro quinto capite undecimo: *Quæ dum aguntur Concilia Etruriæ ad Fanum*

num Volturnæ habita poſtulantibus Capenatibus, *ac Faliſcis*, *ut Vejos communi animo*, *conſilioque omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent*. Reſponſum eſt: *Antea ſe id Vejentibus negaſſe* .... Quid igitur conſequens eſt, niſi ubi erat Fanum Volturnæ, ibi Etruriam, atque Etruriæ Deum extitiſſe? Quis ergo non videat hanc fuiſſe Metropolim, ac Lartium ſedem, qui XII Urbibus præerat, ac reliquis Lucumonibus, ut ex Servio colligimus in librum x. Æneidos ad Ver: *Gens illi triplex*. Diodorus Siculus de Tripoli in Phænicia differens Libro decimoſeſto, & ἀξίωμα μέγιςον i. *maxima habere auctoritatem* demonſtrans ſimul quod pluribus Urbibus conſtaret, ſimul quod ibi fieret σωνέδριον Synedrion pro argumento utitur, quod de Athenis, ut jam attigimus, aliiſque ſimiliter dici poſſet. Hæc Cluverio non placent, quia in ſua Germania modo aliter fit; at placent Annio, qui apud Livium, atque alios optime adnotaverat tum ad Fanum Volturnæ concilia multoties agitata; tum auxilia petita, tum etiam negata. Quare optime lapis Langobardicus à Grutero relatus, ubi Viterbum eſt Volturrenos ponit, & Volturnam dictam Etruriam, à qua tota Provincia, ut ab Urbe Principe nomen, & leges accepit. Qui lapis quam belle cum Varrone concors ſit, qui Vertumnum Etruriæ Deum dixit, & cum Plinio, qui Volturrenos cognomine Etruſcos ponit, quiſque videt. Audiamus iterum ipſum Deum apud Propertium loquentem:

Tuſcus ego: Tuſcis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volſinios deſeruiſſe focos.

& conferamus cum hoc: *Volturreni cognomine Etruſci*, *Volſinienſes in eadem parte*. Nec mirum ſi ex Volturna

Vol-

Volturrenos deducimus: Volturna enim ex Volturrena dictum eſt, quæ ſi non placent, indicent quo nam nomine appellatos putent habitatores illius frequentiſſimi Fani. Si Volturrenus ad grammaticos canones exactum non videtur, quid reſpondebunt, ſi oſtendam ex Capua Campanos derivatos, ex Romulo Ramnes, & Ramnenſes, ex Lucumone Luceres, & Lycomedii? Quid ſi ex eodem Vertumno, ut Romæ appellabatur, Volturnalis Flamen, & Volturnalia feſta oſtendam denominata fuiſſe, ut ex Varrone, & Feſto cognoſci poteſt? Sed redeamus ad Plinium, ut melius oſtendamus nos non temere affirmare locum illum caſtigationem, & Ariſtarchi obelum deſiderare. Sic enim legunt vulgatæ editiones - *Tarquinienſes, Tuſcanienſes; Vejentani, Eſentini, Volaterrani cognomine Etruſci, Vulſinienſes. In eadem parte oppidorum veterum nomina retinent Ager Cruſtuminus* ... Vejentani enim neque in eadem parte ſunt, ut notum eſt, quum fuerint citra Ciminum, & Soracte, neque inter Urbes à Plinio adnumerari poterant ſecundum Auguſti deſcriptionem celeberrimam, quam ſequi ſe fatetur, quum ne veſtigium quidem Vejorum tunc extaret, ut Florus ſcribit capite duodecimo: Propertius libro tertio l. 2, & Lucanus l. 7. Qui enim in Via Caſſia, in quibuſdam tabulis picti videntur, vel diverſorium erat, vel ruſticorum collectio, qui in iis arvis procul ab antiqua Urbe terram exercebant, quod & Nardinus adnotavit. Quare Varentani, ut habent antiqui libri; & bene notat Harduinus ad uſum Delphini, legendum eſt: Nunc Valentanum dicitur. Eſentini vero, qui nam ſunt, aut quo pacto in hoc ordine collocantur, quum non ab V.

littera;

littera; ſed ab E incipiant? Veſentini reponendum eſt ex veterum librorum fide, nunc Biſenzo. Quod ſi poſt Vulſinienſes punctum adſcribitur, ut habent recentiora quædam volumina: *Volaterrani cognomine Etruſci, Vulſinienſes. In eadem parte oppidorum veterum nomina retinent ager Cruſtuminus*; difficillima provincia ſuſcipitur: certum enim eſt Cruſtuminos in Sabinis non longe à Tiberi e regione agri Vejentis fuiſſe, ut idem auctor paucis poſt verſibus teſtatur - *Tiberis vejentem* Agrum *à Cruſtumino, dein Fidenate dirimit*. Jam multa dici poſſent ſi Cluſtumenam tribum à Tuſcorum Urbe dictam, ut ait Feſtus, expendere vellemus, ſed breviter reſpondemus Fidenas quoque Etruſcorum fuiſſe, quæ in Hetruria non erant. Quum igitur ad noſtras antiquitates parum conferant, atque à propoſito nos longius abducant, de his hactenus. Vehementer enim eos adverſamur, qui hinc, atque inde quamlibet vel minimam occaſionem arripiunt, atque inquirunt, ut libros, ſeu verius centones farciant, & conſarcinent illius præcepti Horatiani in Arte immemores:

Denique ſit quod vis ſimplex dumtaxat, & unum.

CAP.

CAP. XV.

Cicero pro Cæcina Volturreno, non Volaterrano, explicatus.

NOſter Dominicus Blancus in autographis refert quandam inſcriptionem Volturreni Cæcinæ, quam ego nuſquam reperire potui. Scio multos de Cæcina mentionem facere, illumque Volturrenum dicere: Sed videte hominum ſimplicitatem! Catonis ruinoſis fragmentis innituntur, quæ alii Catones Cenſorii monent, & ad ravim vociferantur eſſe conficta. Nos ea non curamus: Satis eſt nobis illum Equeſtris ordinis, ut à Plinio dicitur, & Quadrigarum Dominum fuiſſe. l. x. c. 14. Apud nos enim hic ordo antiquiſſimus floruit, qui ad Sacra Etruſca jurabat, atque ab eo Sonſa corrupte pro Suſa, ideſt Equeſtris Porta dicta eſt à סוסים ideſt Equis. Erat olim hæc inſcriptio in fronte domus Curtii del Mezzo, ut refert idem Blancus in MSS.

Henric Rom. Imperat.
Equitibus ſuis Sonſam, quæ & Equeſtris,
Regionem hanc illius ædibus adiunctam colentibus
Indulget, ut ſervi ad Portam Sonſam procul haud hinc ſitam
Profugientes liberi efficiantur illico à Viterbo ſi oriundi

& ad Sanetum Matthæum extat adhuc litteris Gotthicis exaratum hoc Epigramma à noſtro Gotifredo dictatum

Nomine Sonſa vocor fulgentis Porta Viterbi.

Eſt mihi grande decus, & fungor honore perenni;
Omnis enim, qui ſervili ſub lege gravatur,
Si Civis meus extiterit, liber reputatur.
Maximus Henricus Cæſar mihi contulit iſtud.

Hunc igitur Cæcinam, quem Suſianum Dempſterus vocat l. 4 cap. 5, & pro quo Cicero orationem habuit, Civem noſtrum fuiſſe plura ſuadent. Agitur enim in illa oratione de fundo in agro Tarquinienſi, cujus ille poſſeſſionem petebat poſt mortem Ceſeniæ ſecundæ Uxoris ex Tarquiniis: Præterea Tullius refert veniſſe illum ad diem dictam cum Amicis, advocatis, & Togatis in Caſtellum Axium, & inde in eum locum, ut de fundo moribus deduceretur: Sed ab Æbutio armatis per vim non feſtucariam, (ut formula utar ex Gellio l. 20. c. 9.) ſed veram, ac per ſummam injuriam fuiſſe repulſum. Credibile ne cuiquam videri poteſt cum togatorum, atque amicorum comitatu ex Volaterris quaſi ad animi relaxationem tanto plurium dierum incommodo venire potuiſſe? Quod autem Axia prætererit ſatis indicata cujas fuerit, aut unde venerit: illud enim oppidum (Aſſium vocat Deſiderius, & ἀ'ξία πόλις Stephanus) in noſtro territorio eſt, & *Caſtel d'Aſſo* dicitur, ubi Caldanus confluunt, & Freddanus (non ad Montem Romanum, ut putant Cl: Holſtenius, & Ametus) qua ex noſtra Urbe in Agrum Tarquinienſem via eſt. At Cæcina Volaterranus in omnibus ferme libris habetur. Scimus, & ideo corrigendum fidenter pronunciamus. Quod ſi quæ diximus non ſatis ſunt, addimus Volaterranos Sullani temporis acerbitatem ſubterfugiſſe, ut idem Tullius libro

bro decimo tertio Epiſtolarum famil: 4. te ſtatur. Et libro primo ad Atticum *Sullanorum hominum poſſeſſiones confirmabam, Volaterranos, quorum agrum Sulla publicaverat, neque diviſerat in ſua poſſeſſione retinebam*: In laudata Epiſtola ad Famil. - *Quum tribuni plebis legem iniquiſſimam de eorum* (Volaterranorum) *agris promulgaſſent, facile ſenatui, populoque Ro: perſuaſi, ut eos Cives, quibus fortuna pepercerat, ſalvos eſſe vellent. Hanc actionem meam C. Cæſar primo ſuo Conſulatu in lege agraria comprobavit, agrumque Volaterranum, & oppidum omni periculo in perpetuum liberavit*. Prætereo Livii Epitonem 89, & Strabonem l. 5, Illudque unum addo ex oratione pro domo ſua ad Pontifices: *Sulla victor rep: recuperata Comitiis Centuriatis Civitatem Volaterranis cum etiam tum eſſent in armis eripere non potuit*. At contra Etruriam agros, & bona omnia amiſiſſe eo tempore teſtis eſt Salluſtius de Conjur. Catil. Hunc ſi de toto tractu à Tiberi ad Arnum intelligere quis mavult, manum non vertimus, dummodo Volaterranos excipiat. Cæcina igitur, cui impedimento eſſe ajebat Æbutius, quo minus hæreditatem Cæſeniæ cernere poſſet, Sullæ legem, calamitatemque civilem, ex Volaterranis non erat: Hi enim ut vidimus, & fatetur etiam Raph: Volaterranus Comment. l. 5 tunc nihil paſſi ſunt ejuſmodi, neque agrum, neque Civitatem, neque ullum jus amiſerunt. Certe Cicero in hac oratione adverſariorum rationibus nunquam oppoſuit Volaterranorum privilegium, ſeu mavis ſortem, quod facturum fuiſſe nemo non videt, ſi ex ea Civitate Cæcina fuiſſet: Sed con-

cedit & Sullam Legem tuliſſe, & ſuum Clientem illud incommodum ſubiiſſe, & quiſquam dubitabit Vulturrenum non eſſe appellandum? Ceterum fluvius Cæcina prope Volaterras, & nominum ſimilitudo, quæ huic errori forſan anſam dederunt, non tantum pondus habent, ut argumentorum vim, quæ ſupra attulimus poſſint infringere: Verum in fine Orationis ad Volturrenos cognomine Etruſcos alludens Tullius & ſuam cauſſam, & præſentem dubitationem conficit: *Habetis*, inquit, *hominem ſingulari pudore, virtute cognita, & ſpectatæ fidei ampliſſimum Etruriæ nomine totius in utraque fortuna cognitum*; Et ad eundem ſcribens loco, quem ſupra retulimus, bono animo jubet eſſe, hortaturque, ut ſperet ſibi ignotum iri (pro Pompejo enim ſteterat, ut ex Tullio l. 6. Famil:, atque ex Hirtio de bello Afr. notat Patinus) *in quo*, inquit, *vehementer eum conſentiens Etruria movebit*. Atque hic Volaterrani ex ipſorum etiam monimentis convincuntur: in antiquitatibus enim illis ἀδηλοτάτοις, quas Curtius Inghiramius vulgavit. l. 3 p. 206 edit. Francof. hæc habentur, quæ Etruriam ad Fanum noſtrum fuiſſe ſignificant.

SIGNVM ETRVRIAE
Hic delphin
COLONIAE AD FANVM
pictus videtur.
VOLTUMNAE

apud nos igitur erat Etruria. *Ergo Volturreni cognomine Etruſci*, & Cæcina, pro quo Etruria deprecabatur ex noſtra fuit Civitate.

CAP.

CAP. XVI.

Caecina Volturrenus cujus Gentis fuerit. An Maecenas Cilnius dictus? An Arretinus? Silii loca pulcherrima expenſa.

Aulum hunc Cæcinam Liciniæ gentis putat Manutius in Not: ad l.6 fam. Ep. 6, & in titulo Orationis ejuſdem non ſine gravi teſte: nam Gellius l. 6. Noct. Atticarum Cap.6 illam Orationem pro Licinio ſcriptam dicit. Vaillant to.1. famil. Rom. p.200 exhibet nummum cum gemino Jani Capite, ac cum navi ex adverſa parte, litteriſque A. CAE, putatque fuiſſe A. Licinium Caec., quia praenomen Auli in Licinia gente frequentiſſime legitur: Apud nos quidem pondus maximum habere videtur, quod legimus apud Plinium l.20 c.18. *Scimus interemptum Licinii Cæcinæ prætorii Viri Patrem in Hiſpania*, & ne quis Licinius pro Cilnio ſcriptum putet, ideoque emendandum, libro 19. Cap.2 eundem eodem modo nominat: *Lartio Licinio Prætorio viro jura reddent in Hiſpania*, eodemque modo libro 31 Cap.2. Junior quoque Plinius l.2. Ep.14, & libro tertio Ep. 5. Apud Gruterum p.180 in lapide litteris majuſcolis, & apud Livium l.X. Cap.2 in omnibus fere veteribus libris legimus *Etruriam rebellare ab Aruntinorum ſeditionibus motu orto: ubi Licinium genus præpotens divitiarum invidia pelli armis coeptum.*

Re-

Recentiora volumina habent Arretinorum ſeditionibus: Ego equidem dum memoria repeto hunc Livii locum, quo Liciniam gentem facile principem inter noſtros Etruſcos, immo noſtros Aruntinos, ut ex Codicibus MSS. videre eſt, & confero cum iis, quæ dudum recitabamus, & quæ à Cicerone ſcribuntur, à quo Etruſcorum nobiliſſimus aſſeritur; in eam ſententiam labor, quæ Cæcinæ conſanguineum Mæcenatem fuiſſe opinatur. Nam non ſolum apud Macrobium Turnebus, & ipſe Dempſterus ex MSS. Iſaaci Pontani legunt *Mel gentium Vetuloniæ*, ſed etiam in Albinovani ἐπικηδίῳ ex veteri membrana, ut notat Gorallus: *Regis eras Etruſce genus* ſcriptum videmus, & *Cæſaris obſes*, quod belliſſime concordaret cum noſtro A. Cæcina; nam cum hic contra Cæſarem arma ſumpſiſſet, videtur Maecenatem obſidem dediſſe, atque hac occaſione cum Octaviano nutritum; Aulus enim ad Ciceronem ſcribens l.6. Ep. 7 meminit filii adoleſcentis, qui an Moecenas ſit viderint Eruditi. Neque enim Meibomio, qui hac de re ex profeſſo ſcribit, omnino aſſentimur, quamvis auctoritate Sigonii, aliorumque fulciatur, qui omnes uno ore Maecenatis Patrem fuiſſe Menodorum, Avum Menippum, Proavum Caecinam ſcripſerunt. Illud mihi convenit cum hiſce Scriptoribus ipſum Lartium ortum ſanguine; nam num Flaccus adeo perfricta fronte fuiſſet, ut toties progeniem regum coram Auguſto, ac tot Ro. Principibus dicere auſus fuiſſet, & an Moecenas adeo veræ laudis erat inops, ut his ἐπεισάκτοις χρώμασιν egeret?

Mæcenas Atavis edite Regibus Ode 1 l.1

Tur-

Turrhena Regum progenies Ode 29 l.3

Non quia Mæcenas Lydorum quidquid Etruſcos

Incoluit fines, nemo generoſior eſt te &c. Sat.6 l.1

Eadem canunt Albinovanus in Obit., Martialis l.X. Ep.4. Silius l.X. v.39, mirumque fuit viſum equitis Titulo fuiſſe contentum:

Mæcenas Eques Etruſco de Sanguine Regum,

Infra fortunam qui cupis eſſe tuam.

Proper. l.3 el.8, quod & notavit Vellejus Paterculus l.2 Quibus in locis illud etiam expendendum eſt ſemper Mæcenatem Tuſcum, & Etruſcum nominatum, ſicut Horatius: *Riſit Tuſcus Eques*: Si hæc epitheta Civitatem non indicant, nunquam illius patria diſerte fuit nominata, atque in tanta nobilitate adeo humili, atque obſcuro loco natum fateri neceſſe eſſet, ut nemo proprio nomine nuncupare auſus fuiſſet. Verum Dauſquius ad librum 7 Silii Italici, Cellarius, & Drakemborchius ibidem, Julianus Pichon, & Lipſius in Not. ad Tacitum, & lection. Antiq. l.1 cap.22. Manut. in Orat. pro Cluent. Janus Duſa in Schediaſm. ad Tibul., Fabrettus Cap.X. Inſcript. p.750 & Jacobus Cennius in ejus Vita, aliique Cilniæ gentis Arretinæ, non Liciniæ Mæcenatem fuiſſe volunt: corriguntque non ſolum Silium, & Tacitum, qui Licinium habet l.6. Annal., ſed etiam Livium l.X. Macrobium l.2. Saturn., contenduntque omnino Cilnium dicendum: Notæ Var. in Orationem pro Caecina: *Apud A. Gellium l. 6. Cap.16. nominatur hæc oratio pro A. Licinio, ubi mendum eſt, nam Cilnius Mæcenas dictus eſt, & probavimus gentilem Caecinæ fuiſſe Mæcenatem.*

Ve-

Verum quis audivit Cilniam gentem in Etruria ? Qui fieri poteſt, ut nulli nummi, nullæ inſcriptiones de ea loquantur, cum adeo eſſet præpotens nobilis, ac pene Regia ? Vidi ego quoſdam lapides in quibus Cilniorum nomen legitur, ſed Mæcenatis nomen non vidi: Sic refert Fabrettus Cap.X. p.750, atque hunc fuiſſe credo illud Epigramma, cujus meminit Dauſquius. Sed quoniam præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ Silius eſt, expendenda ſunt ejus verba, ut ſi forte ad verum aſpirare non poterimus, ſaltem omni ope nitamur. Poëta l.7 ver.29. Cilnium Annibalis captivum cum eo colloquentem inducit, qui tam iniquo animo ſerviebat ſervitutem, ut mortem oppetere meditaretur.

Cilnius Arreti Tyrrhenis natus in oris
Clarum nomen erat, ſed læva adduxerat hora
Ticini juvenem ripis, fuſuſque ruentis
Vulnere equi, lybicis præbebat colla catenis:
Hic ardens extrema malis, & rumpere vitam:
Non cum Flaminio tibi res, nec fervida Gracchi
In manibus conſulta, inquit, Tyrinthia gens eſt,
Quam ſi fata tuis genuiſſent Hannibal oris,
Terrarum imperium Carthaginis arce videres.
Non egò te longa ſerie per ſingula ducam:
Hoc ſat erit: Noſces Fabios certamine ab uno.
Vejentum populi violata pace negabant
Acceptare jugum. cetera. ad hujus orationis calcem hæc ſubjecit poeta:

Hæc juvenis diviſque tumens, auſiſque ſecundis.
libro vero decimo ver.40. Mæcenatem nobiliſſimum militem

litem inter alios occubuiſſe ad Cannas refert:

Oppetis & Tyrio ſuper inguina fixe veruto
Mæcenas, cui Mæonia venerabile terra,
Et ſceptris olim celebratum nomen Etruſcis.

Silium, ut Poetarum patrono aliquam referret gratiam, hæc finxiſſe non dubito: ſed colligimus tamen ex illius mente Cilnium, & Mæcenatem eſſe diverſos: ille namque captivus detinebatur ab Hannibale, neque huic pugnæ pro Romanis adeſſe potuit: hic neque frater, neque conſanguineus alterius dicitur, quod certe poeta non omiſiſſet, ſi ſaltem genus utriuſque commune fuiſſet: adde quod ille ſolum Claro nomine in oris Tyrrhenis fingitur, tumiduſque auſis, & divis ſecundis, non genere, ac majorum virtute: hic in terra Mæonia ſceptris celebratus: ſed ut cognoſcatur non ſolum à Mæcenatis ſanguine alienus hic Cilnius, ſeu Cilinus; verum etiam ab Etruſcorum genere, ideoque conſulto natus in Arreti oris dictus, quaſi exterorum filius; libet expendere maturiori judicio quæ ad Annibalem verba fecit. Ipſe audacter Fabiorum genus Herculeum, ac CCC ad Vejos cæſos ad ſidera effert, doletque ſpes, eventuſque fallaces tantæ virtuti non reſpondiſſe: adeſſe tamen ex ea familia, qui Annibali poſſit obſiſtere:

Nec tamen occiſos eſt cur lætere, ſuperſunt
Qui tibi ſint, Lybiæque ſatis; Certaverit unus
Tercentum dextris. cetera

An Etruſcus, & ex regio genere Lartium, ex quo Mæcenatem originem duxiſſe ipſe Silius cecinit, ſic locutus fuiſſet? Scilicet gaudere debebat ab Etruſcis non omnes

Fabios cæſos: O egregie moratam orationem! O characterem Etruſco Principe dignum! Quis ignorat Fabios privatum bellum, quaſi familiare contra noſtrum imperium ſuſcepiſſe, & demum Q. illum Fabium Maximum ad lacum Vadimonis noſtræ Reip., ac totius Etruriæ fregiſſe vires? Progeniem adeo invidioſam abſonum, atque abſurdum eſt eum Commendantem inducere, qui ex Tuſcis Regibus ortus ſit. Quare legant ſane ſive Cilnium, ſive Cilinum, mihi neque ex Lartium Stirpe, neque cum Mæcenate conjunctum perſuadebunt: Quinimmo illum cum ſanguine, tum voluntate à noſtra Etruria alienum, atque ἀλλοτριώτατον prorſus judico.

CAP. XVII.

De Vetulonia Etruriæ Urbe: Ptolemaeus à cenſura Cluverii defenditur.

INter noſtras Urbes Vetuloniam fuiſſe diximus: neque hoc ab Annio confictum eſt: Multis annis ante in Epitaphio Cardinalis Marci Viterbien:, quod male deſcriptum refert Ciacconius Anno 1347 ſic legimus:

Quam tibi plus Marcus, longe huic Vetuloniā debes:
Nam tu illi eſſe, dedit ille bene eſſe tibi.

Habemus quoque Michaelis Palæologi Epiſtolam ad Urbanum IV, in qua gratulatur Vetuloniæ in ſuorum Majorum

jorum ſede fuiſſe coronatum cum aliis monumentis pulcherrimis. Cluverius hanc Urbem prope Populonium in ora maritima fuiſſe, atque eodem loci thermas Vetulonienſes decretorio ſtilo eſſe ſcribit: *Vetulonii prope litus fuerunt* l. 3. cap. 26 Introd. Geograph: Hoc idem magnifice docet in Italia Antiqua to: 1 multis aliis plaudentibus: additque hoc corollarium plenum eruditionis, atque humanitatis: *Reliquas, quæ ſequuntur putidiſſimas nugas recitare pudet, pigetque: id tantum obiter indicandum imperitiſſimum omnis abſtruſioris antiquitatis animal iſtud Arcadicum* (Annium intelligit) *Vetulonienſes aquas calidas, quibus Plinius piſces innaſci tradit, interpretari* Viterbi*enſes*. Sed ego in illius capite hanc fabam cudam, diſpeream que ni ſexcentis argumentis Cluverium turpiſſime, non Annium, lapſum eſſe oſtendam; illaſque ipſas undas Vetulonienſes, quas ex Tzetze Lyncæos oculos reddere notat, ipſum miſerrime excæcaſſe. Ptolemæus qui Urbes mediterraneas à maritimis diſtinguit, ut cuique notum eſt, in mediterraneis Vetuloniam ponit: At Cluverius ambas inflans buccas: *Ptolmæus*, ait, *male ut pleraque longe interius poſuit*. O geographum inſignem! Ptolemæus falſus eſt. Sit ita ſane. Parcendum tamen, longe enim aberat, & procul ab Italia ſcribebat. Verum quid dicet de Plinio, qui in mediterraneis cum Vulſinienſibus, Varentanis, & Uolturrenis Etruſcis deſcribit? Inſpiciamus præterea Antiquas deſcriptiones, an ponant in maritimis, ut contendit. In manibus eſt illa, quam Cluverius ipſe refert.

1 *Piſis*	3 *Piſcinas*	5 *Vadis* Volater.
2 *Turrita*	4 *Ad Fines*	6 *Populonio.*

Ubi nam Vetulonium? Aſt hanc deſcriptionem corruptam eſſe clamitat. Cedo igitur illam Antonini.

1 *Coſam*	3 *Saleprone*	5 *Populonio*
2 *Lacum Aprilem*	4 *Manliana*	6 *Vadis Volater.*

Quid malum! hic auctor quoque Vetuloniam ponere in maritimis oblitus eſt? Conſulamus Strabonem, qui hoc iter teſtis oculatus deſcribit, & ſingula quoque metitur ſtadia.

1 Ἀπὸ λούνης ςαδ. ῦ	3 Ὀυολατεῤῥας σ̃ο̃	5 Κόσσαν.
2 Πίσας σ̃.π̃.	4 Ποπλώνιον ῶ	

Strabo quidem erat, tota via aberravit, nec Vetuloniam vidit. Profer nunc tuam Eques inclyte, atque Arcadicorum animalium errores corrige.

1 *Piſis*	4 *Ad Fines*	7 *Vetulonio*
2 *Turrita*	5 *Velinis*	8 *Populonio.*
3 *Piſcinas*	6 *Vadis Volater.*	

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici? Nam qua auctoritate, quo teſte, qua ratione, qua fronte tandem Vetuloniam hic inſerit contra tam certa, ac perſpicua veterum teſtimonia? Sed age videamus, an ibi fuerint aquæ Vetulonienſes, in quibus veluti pueri in ſimpulo tot fluctus excitat. Peutingerii tabulæ præſto ſunt, quibus is multum defert: Hæ aquas Populonias illas undas appellant: Corruptam, vitiatamque tabulam iterum Cluverius eſſe clamitat: proferamus Anonymum Ravennatem: Hic pagina 222 *Iuliam, Sextam*, *Aquas Populon: Bulterras refert.* Verum quia hunc ſcriptorem parum

rum diligentem dicit Velſerus, adeamus Pomponium Melam: Hic libro 2 ſic habet: *Pyrgos*, *Alſium*, *Caſtrum novum*, *Graviſcas*, *Coſas*, *Telamonem*, *Populonium*, *Cecinam*, *Piſas*. Ubi Vetulonium, & Vetulonienſes undæ Eques generoſe? An ille Annius, qui in Aſinum converſus fuerat, magicis artibus hoc etiam effecit, ut inde eveneſcerent? Ridet hic Scholiaſtes Anonymi Porcheronius: *in incerto*, inquit, *ſtabat Cluverius cum aquas Populonias in peutingeriana tabula intuebatur*, *Vetuloniaſque libentius vidiſſet*; *tabulæ tamen ſinceritas hoc loco aſſeritur*. Hæc nobis ſatis eſſe poſſent, ſed plura reſtant per tria, quæ ſequuntur Capita in acem digerenda, ut Cluverium, ſuoſque aſſeclas rationum pondere, & numero obruamus. Plinius, ut diximus, inter alphabetico ordine digeſtas Urbes juxta Auguſti deſcriptionem non poſuit ſolum Vetulonienſes inter Mediterraneas, ſed præterea diſerte notat in noſtro litore (arrigite aures Arcadici animalis antagoniſtæ) ex Hetruſcis Urbibus Populonium tantum fuiſſe. Et Strabo non modo totum illud iter maritimum Luna Piſas, hinc Volaterras, inde Populonium, atque è Populonienſi urbe ad Coſſam propriis oculis dimenſus eſt, ut oſtendimus; verum etiam de Populonio paullo poſt hæc ſcribit Plinio concinens: δοκεῖ μοι μόνη Τυῤῥηνίδων τῶν παλαιῶν ἀύτη πόλεων ἐπ' ἀυτῇ τῇ θαλάτῃ ἐδρύσθαι. I. *Sola hæc Hetruſcis ex Urbibus antiquitus ad Mare fundata mihi videtur*. Neque hoc temere, atque incoſiderate aſſeruit, ſed conſulto, atque ex phyſica ratione, quam addit: αἴτιον δ' ἐστι τὸ τῆς χώρας ἀλίμενον, διόπερ παντάπασιν ἔφευγον οἱ

κλίσαι τὴν θάλατταν. *Cujus rei cauſa eſt, quia tractus regionis ejus importuoſus eſt: ob eam rem conditores Urbium maritimas fugitabant oras.* Hæc quamvis referat, vel non bene legiſſe, vel ſuſpenſo ſomno legendo dormitaſſe Cluverium, ipſiuſque ſectatores prope eſt ut exclamem. Verum illa palmaris, nam ipſe hos verſus referens ex Silii libro octavo.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis:
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures.
Hæc altas eboris decoravit honore Curulés,
Et princeps tyrio crinem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære:
Hos juxta Nepeſina Cohos cetera.

adeo ſcilicet, addit, *hanc inter XII Etruriæ populos commemoratam voluit Silius, ut ei etiam principem tribuerit locum: Ex hac igitur dignitate ſumma vetuſtas Urbis apparet; quidpe quæ jam ante Etruſcorum in hanc intra Apenninum immigrationem ab Umbris, vel Pelaſgis Tyrrhenis, quum XII Tyrrheniæ ſuæ Capita conſtitueret, condita fuit.* Quam diligenter! quam Erudite, ſi ſuperis placet! Sed omnes condonamus errores, quos alii jam adnotarunt, atque exploſerunt: ſufficit nobis Urbem Principem Cluverium fateri Vetuloniam, ut ſic illum premamus, atque redigamus ad incitas: Si XII Circumpadanæ Hetruſcorum Coloniæ ſuam Metropolim, & Caput Mediterraneum habuere, ſive Bononia fuerit, ſive ut Vigilius cecinit Mantua:

Mantua dives avis, ſed non genus omnibus unum:

Gens

Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni
Ipſa Caput populis: Tuſco de ſanguine vires:

Noſtra quoque Etruria Vetuloniam, quæ Caput erat, habuit in Mediterraneis: Strabo pariter de Capua diſſerens, quæ Tyrrhenicarum Vrbium XII in Campania Princeps erat, idem aſſeruit: ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Καπύη μὲν ἐστιν ἡ μητρόπολις. *In mediterraneis vero eſt Capua Metropolis*: Hoc idem apud Plinium, Ptolemæum, ac Polybium adnotatum videmus: At non adnotavit Cluverius: cumque de antiquis Vrbibus tot volumina legerit, ac ſcripſerit, quod ex Appiano refert Camillus Pellegini diſc. 2. *Veteres Regiæ fuerunt omnes mediterraneæ* penitus ignoravit. At Vetulonia ubi Viterbum eſt extitiſſe, ex ipſius obſervationibus quoque oſtendimus; Scribit namque Æneam, ex Virgilii, ac Lycophronis carminibus poſt Cære, & Minionis tranſitum ad Aquas Vetulonienſes veniſſe; quid ad rem noſtram accomodatius? Nam ſi totum iter, ac Trojani ducis paſſus ipſos quis metiatur, ſi quorſum hoc iter capeſſiverit conſideret, non alio quam ad noſtram Metropolim, ac Vetulonienſes thermas debuit aſpirare, ut modo demonſtravimus Capite XII.

CAP.

CAP. XVIII.

Plinii Locus reſtituitur de Vetulonia, atque Amœria noſtræ Etruriæ.

QUÆ quum ita ſint, quis non videat reſtituendum eſſe Plinii locum libro ſecundo cap. 103.: *Patavinorum aquis Calidis herbæ virentes innaſcuntur: Piſanorum ranæ: ad Vetulonios in Etruria non procul Amœria* (non à Mari) *piſces*. Ita legendum cenſent quidam, ut ſcribit in primis Correctionibus Hermolaus Barbarus: Nam certe Piſæ in Hetruria ſunt, ut notum eſt ex eodem Auctore l, 3. cap. 5. *Primum Hetruriæ oppidum Luna portu nobile: Colonia Luca à Mari recedens, propriorque Piſa inter amnes Auſerem, & Arnum*. Scio quoſdam hanc Urbem in Liguria ponere: Sed nihil mirum: Totus enim ille tractus uſque ad Oſtiam Ligurum olim fuit, quod ex Ligurni portu intelligi etiam poteſt, & ex Lycophrone, qui tribuit Agyllam Λιγυςίνοις, quod non notavit Cluverius, ideoque Ligurnum Liburnum dicit, & à Liburnis populis, quamvis non ſolus, ineptiſſime derivat. Plinius igitur, cujus ſenſum ſectamur Piſas in Hetruria locat: Sic etiam Rutilius Numatianus.

Elide deductas ſuſcepit Hetruria Piſas
Nominis indicio teſtificata genus. & Virgilius l. x.

Hos

Hos parere jubent Alphææ ab origine Piſæ
Urbs Hetruſca ſolo .....

quamvis igitur in noſtra provincia ſint, tamen Plinius - *Piſanorum ranæ : ad Ventulonios in Etruria*. cetera. Quid ſibi vult hic in Etruria ipſis Piſis oppoſitum? Illud idem, quod ſupra retulimus - *Templum Salutis in Etruria cum Ferentano oppido collatum*. Hoc telum vidit, & parva declinatione effugere conatus eſt Inghiramius tract. x, aitque addi in Etruria, ut ſcias ubi eſſet Vetulonia, quum non tam clara, ac nota, quam Piſæ fuerit: Sed hoc eſt reſponſum contra conſcientiam, & veritatem: refert enim ipſe idem Silii verſus, atque alia præclariſſima de Vetulonienſibus, ex quibus nihilo minus celebres, quam Piſanos ad ea præſertim tempora & rebus geſtis, & antiquitate extitiſſe cognoverat: Omnino igitur non procul Amæria legendum eſt, quam prope noſtrum Vadimonem, noſtraſque Thermas Capite Nono demonſtravimus ex Plinii alterius præſertim auctoritate, qui prædia Amærina prope illum celeberrimum lacum conſtituit. Eſt ibi oppidum dirutum, cujus veſtigia *Le Amerelle* nunc quoque appellantur. In quam rem ſæpe obſervavimus in Hetruria multa eſſe nomina, quæ alibi quoque audiuntur præſertim in Vmbria: idque ideo factum cenſemus, quia Vmbri, qui prius, ut diximus apud nos conſederunt, & poſtea ex noſtris agris expulſi ſunt, quædam nomina retinuerint, ac novis habitationibus indiderint. Niſi ſi velimus dicere, quum à noſtris CCC ipſorum oppida debellata fuerint, ut notat Plinius l. 3. cap. 14., tunc multas eò duxiſſe Colo-

nias, atque Umbriam xv Pop. condidiſſe, quod indicat, niſi fallor Volturena, quod nomen adhuc retinet vicus prope Spoletium. Sic Ameriam, Tuder, Camerinum, Sentinum, Vmbria xv Popul. apud illos, & Amæriam, Tudernum, Camertes & Sentinates, & Etruriam xv Populorum apud nos quoque appellatos videmus. Omitto Tuſcos locum prope Tifernum, quem in gratiam proſoceri ſui Plinium juniorem ita appellaſſe potius opinor, ut jam innuimus. Verum ad nos redeamus. Quidam omnino contendunt *haud procul à Mari* eſſe legendum, nec vulgatas editiones immutandas, neque deſunt, qui de Orbitello, illiuſque aquis calidis id dictum putent, ut refert Hermolaus Barbarus. Verum hos Rutilii iter non legiſſe, vel parum attente Strabonem aliorumque deſcriptionem maritimam expendiſſe indubitatum videtur. Quid enim vero reſpondeant, ſi Etruriæ Regio, in qua Plinius Eetulonios ponit, à Mari amplius xv millia paſſuum diſtat? Is quia Cære quater mille paſſus ad ſummum aberat, quodammodo veniam præfatur, ſi in maritimis deſcribit: *Cæretanus Ager, & ipſum Cære intus millia paſſuum quatuor*. Reſpondeat igitur quiſquis nobis moroſus adverſatur. Si Vetulonia Mari erat propinquior, quam Cære, ut concedere debent qui vel prope Populonium, vel prope Orbitellum ponunt, cur in mediterraneis ab eodem Plinio, atque in Etruriæ regione deſcibitur? Si Cære remotior, qui fieri poteſt, ut non procul à Mari Plinius ſcripſerit? Quæ nam homines intemperiæ tenent, ut veritatis lucem non videant? Velint, nolint lectioni,

quæ

quæ apud Hermolaum eſt ſubſcribere, & *haud procul Amæria* legere cogentur, ſi bene prope Amærina prædia Vadimonem eſſe demonſtravimus.

CAP. XIX.

Dionyſii locus reſtituitur de eadem.

VErum cum Cluverio nobis res eſt: Præcipuum argumentum, quo noſtra monumenta improbanda cenſet petit ex eo, quod ubi nunc Viterbum eſt, Vetuloniam fuiſſe aſſeramus: U*nde mihi*, inquit, *præcipua ſuſpicio hunc hominem* (gratia Coelitibus: Annium antea Animal Arcadium dixerat) *prædicti quoque Edicti Deſiderii Regis ineptum fuiſſe, atque abſurdum Auctorem* l.2. Ital. Antiquit. p.164. Sed ea eſt vis innocentiæ, ut ex adverſariorum machinationibus altius aſſurgat. Is Dionyſium corrigendum cenſet, ubi narrat à Lucumone ex Solonio auxilium Romulo allatum, aſſeritque ex Vetulonio legendum l.2. Ital. Antiquit. p.457. *Auxilium etiam validum adduxit ex Vetulonio (male vulgo Solonio) Etruſca Vrbe Lucumo vir Strenuus, & bello clarus nuper receptus in amicitiam*: Optime vero. Solonium enim in Latio via Oſtienſi ad XII lapidem ex Feſto verbo Pomonal, non in Hetruria fuiſſe certum eſt: & Lucumo Summus, ſeu Lartes ex principe, & Tyrrhenica Urbe diſcedere, atque auxilium ferre debebat. Hinc emendatatio Caſauboni, qui pro *Solonium Statonium* reponit,

jure reſpuitur, quia Statonia neque ex XII. Coloniis Etruſcis fuit. Sic igitur Cluverium ſuo ſibi gladio jugulo: Lucumonem ex Tuſcis, atque ex illo Celeberrimo Fano, quod Viterbi ipſe concedit, Volturnæ Deum Romam attuliſſe in hac expeditione negari non poteſt, ipſæque fabulæ, quæ T. Tatium ſulfureis, calidiſque aquis ex improviſo erumpentibus victum narrant, auxilium illud validum ex Thermis noſtris allatum, noſtrorumque militum ex inſidiis repentinam aggreſſionem hiſtoricos deſcribunt: idem Deus apud Propertium l.4. El.1. Sic loquitur in rem noſtram.

Tempore quo ſociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati,
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugæ.

modus vero ab eodem explicatur apud Ovidium l. 1. Faſtorum ver. 150, ubi Janus appellatur, ut videmus etiam apud Macrobium l.1. Saturn. Cap.9.

Ante tamen madidis ſubjeci ſulphura venis
Sumque repentinas ejaculatus aquas.

Et libro 14. Metamorphoſeon fab. 18.

Flammigera gemini fumant aſpergine poſtes,
Portaque nequicquam rigidis promiſſa Sabinis
Fonte fuit præſtructa novo ...

vates enim tangunt hiſtoriam, ut Servii verbis utar in librum primum Æneidos, quam non poſſunt aperte ponere: Si igitur ex Vetulonia Etruriæ Urbe Cœlius Lucumo diſceſſit, atque ex Thermis Vetulonienſibus, Vetuloniam vel ipſum Fanum Volturnæ, vel cum ipſo con-

conjunctam fuiſſe fateri neceſſe eſt. At quædam rudera prope Plombinum, ſeu Populonium, & veterum ædificiorum veſtigia conſpiciuntur, addit Cluverius, locuſque ille *Selva Vetletta* dicitur. Viderit ipſe, an Velete veſtigia ſint, quam Civitatem Etruſcorum vocat Iſidorus l.18. Cap.57. Apud nos pars noſtræ Urbis adhuc Betulone appellatur, & Vicus Vetulonius, ut ait Hermolaus in Caſtig. Plin. ad librum ſecundum Cap.106. edit. Venet. 1492., ubi Palæologorum Majores, ut notat Gretſerus, Volaterranus, aliique, & Marcus Cardinalis nati ſunt, ut ſupra adnotavimus. Multo etiam ante B. Jacobus Viterbien: S. Thomæ Auditor, & Archiep. Neapolitanus Vetulonius dictus eſt: ut notat Bartholomæus Cioccarellius de Neap. Archiepiſcopis, & Antonius Sabellicus Ennead.9 l.8. Quid plura extant nummi, in quibus F.A. V. L. cum inſcriptione *Vetulonia*, & ex altera parte cum Leone conſpicitur, quod notavit etiam Annius in quæſt.XI cum iiſdem litteris F. A. V. L. & ex altera parte cum S. Laurentio, quos cudi juſſit Deſiderius, ut complures Scriptores omittam, qui Vetuloniam Viterbium eſſe ſcripſerunt. Hæc Cauſſa igitur de Vetuloniæ nomine ſatis, ſuperque perorata eſt, noſtrorumque ſcriptorum, ac monumentorum fides ſarta, & tecta ſervata: At Cluverius ſuam præſtet fidem ſi poteſt; Scribit enim Q. Fabium Max. ad nos primum omnium penetraſſe; quia ante ea loca erant invia, atque impervia; *hæc igitur loca bidui ſpacio ab Urbe Roma diſſita, quum nulli Romanorum, ne Mercatorum quidem ad eam diem adita fuerint, quis credat, jam ter-*

tercentis annis ante omnem Hetruriam à Tarquinio Priſco perdomitam, faſces XII, & cetera imperii inſignia tum primum Urbi illata? Egregie ut ſemper: At quare libro ſecundo Italiæ p. 457 ex Vetulonio Lucumonem auxilium Romulo attuliſſe ex Dionyſio ipſe ſcripſiſti, ex litore, ut ipſe putas Populonienſi, quod multo eſt longinquius? Tu tibi hoc intriſti; tibi totum eſt exedendum. An Vetulonienſes, & Lucumones Romam venire poterant, Romanis ad nos non fas erat aſpirare? Quam effuſe rideret Annius, ſi viveret! quonam modo igitur (diceret) Livius l. 5 c. 18. ex Agro Vulſinienſi, & Salpinati prædas egiſſe Romanos commemorat? Et paullo poſt ad Cluſium uſque Legatos miſiſſe? Si nulli trans Ciminum ne mercatorum quidem Romanorum penetrarunt: Q. Fabius ideo ſe aperuiſſe Silvam Ciminiam, viamque per devios Saltus Romanorum triumphis ſe feciſſe gloriatus eſt, quod contra Etruriæ Metropolim, qua parte inacceſſa, tutaque credebatur arma intulit, faciliuſque, inopinatumque iter ad vincendum ſuos milites docuit. Sexcenta addere poſſemus, ſed præterire non poſſumus pulcherrimum Halicarnaſſei locum l. 2 Antiquit. Rom., ubi inter alios Vetulonienſes, atque Arretinos cum Latinis contra Tarquinium Societatem iniiſſe dicuntur: Certe cum noſtra Urbe Arretinis, & Tiburtinis adhuc fœdus, & amicitia intercedit, ut ex Statuto, ut vocant Viterbienſi cognoſcitur, atque illarum Urbium ſcriptores ad illud tempus hanc conjunctionem referunt; immo cum amplius centum ab hinc annos Lapis Arretii de Spurina Vetulonienſi inventus eſſet,

eſſet, quem refert Gruterus, illius Nobiliſſimæ Urbis Senatus exemplum mittendum cenſuit, legavitque homines certos hac de cauſſa ad nos, ut ex noſtris monumentis conſtat, qui veterem neceſſitudinem gratularentur, atque hoc nupero teſtimonio renovarent, quod adnotavit Petrus Bonamicus Arretinus Juris Conſultus, & Antiquarius Celeberrimus hiſce verbis: *Extat Arretii apud Ædiles Eccleſiæ Cathedralis jam repertum inter ruinas Eccleſiæ S. Crucis: Ex hoc antiquiſſimo monumento oſtenditur antiquiſſimum foedus inter* Arretinos, *& Vetulonienſes, ideſt Viterbienſes, quod etiam hodie obſervatur*:

Q. SPVRINNAE Q. F
P.... QVINTIANO
EQ. PUBI. LAVROZAVIN
AEDILI IIVIR CVRAT
KALEND. PLEB ARRET.
CVR... VBL... VETVLO
NENSIVM PLEBS
VRBANA
L. D D D

Revera Mamertinus in Paneg., S. Ambroſius in exhortatione Virg., Va: Maximus de verecundia, Etruſcum dicunt Spurinnam adoleſcentem inauditum illud apud Ethnicos pudicitiæ exemplum, à Cujus nobiliſſima familia Q. Ille Spurinna plebis Arretinæ Curator, ut & alii plurimi apud Latinos Scriptores celeberrimi originem duxerunt, inter quos veraciſſimus ille aruſpex, qui Julio Cæſari idibus Martiis necem prædixit, ut narrat Svetonius, aliique.

CAP.

CAP. XX.

Silii Locus de eadem Vetulonia, & etymologia ejuſdem.

Ex iis quæ diximus vera, & vulgatà lectio Silii Italici l.8 defenditur, atque aſſeritur, quam neſcio quis ex novitiis ariſtarchis per ſummam inſcitiam immutare conatus eſt: Poſtquam enim Vetulonienſium decora compluribus carminibus celebravit, quæ iam retulimus, quum populos, qui ad bellum proficiſcebantur ex ordine quoad fieri potuit oratione vincta numeris recenſet, poſtea addit:

Hos *juxta Nepeſina Cohors*:...

Is autem quia opinioni, quam plerique habent de Vetulonia prope Plombinum, hoc adverſari videbatur, ſic proprio marte mutavit: *His miſti Nepeſina Cohors*. Sed deceptum fuiſſe à Cluverio facile perſpicitur. Verum Strabo libro quinto faſces, Curules cæteraque ornamenta Romanos ab Tarquiniis accepiſſe putavit: quæ Silius in hoc loco, & Livius, & Macrobius noſtratibus accepta referunt: Dionyſius l. 3. nobis favere videtur: ea enim omnia miſſa Romanis, ait, poſtquam Etruſci in communi gentis concilio convenerant. Quod certe ad Vetuloniam in Fano Volturnæ factum eſt. Tanta eſt enim Vetulonienſes inter, & Tarquinienſes vicinitas, ut huic errori forſan locum dederit: niſi ſi dicere quis velit

Tar-

Tarquinienſem Civitatem ea ornamenta præbuiſſe, quod cum una ex XII fuerit, quæ ad illud Fanum conveniebant, Romanis mittenda eſſe cenſuerit, atque in primis illius Lucumo forſan hoc perſuaſerit.

Ex harum Civitatum proprinquitate illud quoque ortum eſt, ut lacus celeberrimus Martæ (ſic enim opinor Etruſcæ linguæ declinatione efferebant) modo Tarquinienſis, modo Vulſinienſis, atque etiam Vetulonienſis diceretur, & acres pugnæ, & bella fierent pro ejuſdem poſſeſſione : in quam rem quum à Vetuloniæ quæſtione hac ne digitum quidem diſcedamus, quæ ſequuntur non omittenda eſſe duximus. In Epiſtola Deſiderii Langobardorum Regis ad Grimoaldum hæc legimus - *Revocamus ſtatuta Regis Aiſtulphi contra Vetulonos edita, ut lacus non Tireſium, ſed Vetulonum ſit, quia lacus Magnus ideo Italiæ, quia eorum ager prius eſt Italia dicta, ab ibi ſede Itali.* Quod Aiſtulphus Tyrenſibus lacum adjudicarit facile intelligitur, ſed ratio cur noſtris reſtituendum Deſiderius declaraverit non ſatis percipitur : Vetulonienſium enim eſſe dicit, quia eſt lacus Magnus Italiæ, & quia noſter ager prius ab Italo eſt habitatus. Italum apud nos fuiſſe nihil Cauſſæ habere videtur, cur lacus Vetulonum eſſe debeat : quæ enim conſecutio eſt hæc : Italus primus habitavit agrum, ergo lacus magnus Italiæ ſit Vetulonum? Hæc tam recondita, & tam obſcura ſunt, ut neque Annius intellexerit, tantum abeſt, ut finxerit : Quum enim de hac Urbe diſſerit ab Veiis, & Vejuzis originem nominis trahit, & quum l. 2. Inſtitutionum 6 hæc ipſa verba explicat

Q

plicat, in ridendam incidit tautologiam. Atqui Judicium hoc Deſiderii æquiſſimum fuiſſe dubitare non poſſumus, quum de re graviſſima inter duos populos lis eſſet: quumque de Regis decreto obducendo, & revocando ageretur. Aſt hujus ſententiæ æquitatem oſtendere hoc opus, hic labor eſt. Nos tamen haud difficile præſtabimus prolata nominis origine, atque prioris temporis poſſeſſione: Jam eum lacum Magnum Italiæ appellatum fuiſſe certum ex Plinio eſt l. 2. cap. 95. Hujus Magni tituli meritum dubitare minime poſſumus ab Itali, aliorumque heroum præſtantia, habitatione, ac dominatu fuiſſe profectum ab antiquo, quum alii lacus in Italia, & Traſimenus in Hetruria multo Major exiſtat. Ex hoc igitur conſequens eſt agrum Viterbienſem, ubi prius conſedit Italus, cum eo lacu fuiſſe conjunctum, atque ejuſdem ditionis. At quod ad Vetuloniam potiſſimum pertinuerit, quomodo oſtendimus? Ex grammaticæ artis iterum adytis: Si enim Vetuloniam idem eſſe, atque Itali Urbem monſtramus, ſicut lacus, & ager, quia prius ab Italo nomen habuerunt ejuſdem dominii ſunt, ita idem de Vetulonia dicendum erit, quæ prius quam Tyrus ab eodem denominationem accepit: Aſt hanc ſui nominis ab eo ſumpſiſſe radicem, quanvis abſonum prima fronte videatur, tamen facile ſuadetur. Italos Vitulos fuiſſe dictos, & Italiam Vitaliam ex Varrone, Columella, Gellio, Tzetze, atque Herodoto indubitatum eſt: Audiamus brevitas gratia ſolum Feſtum: *Vituli Itali dicti ſunt*: quod non latuit Deſiderii Monitorem Paullum Diaconum de geſtis Langobardor. l. 2,

l. 2, ubi ſcribit - *ab eo quod eſt Italus vitulus appellatur*. Sæpe enim veteres nominibus à vocali incipientibus V consonam apponebant, ſic Veſtam ab ἑςία, veſtis ab ἑςὴς. Veſper ab Heſperus, vinum ab οἶνος, viduus ab idus traxerunt. Idem eſt igitur Italus, ac vitulus mutato A in V: Idemque Itulonia, ac Vitulonia mutato I in E, quæ ſæpe alternantur, ut Virgilius, & Vergilius Virginius, & Verginius, quod etiam notat Pierius apud Manutium in Orthographia, & Ful: Vrſinus in notis ad Decret. de finibus: quapropter optime cum Vitulonia, ſeu Vetulonia lacus, & ager copulantur, qui ejuſdem originis habent conjunctionem: ubi igitur ſedem decrevit Italus, ibi eſt Vetulonia: Verum hunc ad lacum Magnum Italiæ, & in noſtro agro prius conſediſſe poſtea clarius oſtendemus, in noſtro agro igitur Vetulonia, ſeu Vitulonia eſt: à qua etiam ortum opinor verbum Vitulari: Piſo enim apud Macrobium l. 3 cap. 2. *Victoriam*, ait, *Vitulam nominari* (alii Vitulinam legunt) *cujus rei* (addit Macrobius) *hoc argumentum profert, quod poſtridie nonas Julias re bene geſta, cum pridie populus à Tuſcis in fugam verſus ſit, unde populi fugia dicuntur, poſt Victoriam certis ſacrificiis fiat Vitulatio*. Verum hoc ipſum explicare debebat, cur Virtulatio dicta ſit, in quo nec Varro, nec Feſtus, nec Nonius lectoribus ſatisfacere videntur. Nos igitur à noſtra Vetulonia etymon deducendum putamus.

C A P. XXI.

Livii locus de Longula Etruriæ: eadem Sorrina, ſeu melius Surrena nova dicta.

LOngula Tertia Tetrapolis noſtræ Vrbs à Torebo, qui & Turrhenus, & Tuſcus dictus eſt, quum ab Antiquis Etruſcis in ſocietatem Civitatis, opinor, fuit adſcitus, Turrhenia, & Turſenia, & Tuſcania pro dialectorum varietate dicta eſt, atque etiam Paratuſſa, & Para Tuſca, ut ex quatuor noſtri ſtemmatis litteris cognoſcimus, nam quandoque pro F. A. V. L., ideſt Fanum, Arbanum, Vetulonia, Longhola, etiam F. A. V. P. reperimus ſcriptum, hoc eſt Fanum, Arbanum, Vetulonia, Para-Tuſſa. In vetere Inſcriptione Surrenenſes Auguſtales hujus oppidi incolæ dicuntur, quam quia refert Annius forte nullum pondus haberet, atque in ſuſpicionem vocari poſſent, quæ ſæpe ſcribit de Surrinia & Surrinenſibus in Viterbienſis Hiſtoriæ Epitoma MSS. in Bitliot. Vatic. Sed nuper inventa eſt alia non longe à celebri Cœnobio Dominicanorum S. Mariæ ad Gradus, ubi Sorrinenſes Novenſes, ut jam innuimus memorantur.

L VA-

L VALERIO L. F. PA.
TVLLIO TVSCIANO
EQVITI ROMANO
SACERDOTI LANIVINO
SORRINENSES NO
VENSES PATRONO
QVOD OPVS MACELLI
SOLO ET OMNI CVLTV
SVÆ REIP CON . . . .
TVLIT, ET QVOD RATIO
NEM EIVS . . . VERSOS
INCOLAS HONORAVIT

& in Angulo domus Illuſtriſ: Criſtophororum Viterbi non longe ab Horologio Vetere

C. CAE
IN BAL
SORR . .
C GAV
PRAEF . . F . .
EX D . .

CATI RVSTICO RVFO

Longulam Viterbum eſſe, de qua Livius libro quinto agit; teſtatus eſt Volaterranus libro quinto Comment. Urb. Ferrarius in lexico, & Goropius Becanus in Vertumno: addi etiam poteſt Jannottus Tuſcanellenſis par. 4. p. 72. Quia tamen idem Livius hac in re neſcio quomodo ſubobſcurus, ac parum ſibi conſtans ſeu temporum vitio, ſeu librariorum incuria videtur, iterum tota res, ac narratio ad trutinam eſt revocanda. Ego in ea ſententia ſum, ut putem non de Volſcorum Longula, ut plerique omnes intelligunt, ſed de noſtra ſcribere voluiſſe, vel debuiſſe, quum legiones ſcriptæ ad terrorem Silvæ Ciminiæ Longulam ductas fuiſſe narravit. Illæ ſiquidem legiones idcirco comparatæ fuerant, quum Romæ fuit trepidatum audito Q. Fabium Ciminum intrare

trare velle, ūt eidem ferrent opem contra noſtros pugnanti. Sed ipſum Livium audiamus libro nono cap. 26. - *Dictator poſtero die auſpiciis repetitis pertulit legem, & profectus cum legionibus ad terrorem traducti Silvam Ciminiam exercitus nuper ſcriptis, ad Longulam pervenit: acceptiſque à Marcio Coſ: veteribus militibus in aciem copias eduxit: nec hoſtes detrectare uiſi pugnam.* Hic enimverò φεναχισμὸν factum quis non videat? Ad Longùlam quìppe Volſcorùm nihil rei erat, cùr dictator illuc copias afferre deberet: Marcus enim Conſul alter, qui in Samnio bellum gerebat, ex vulnere laborabat: à Samnitibus ea Longula longiſſime aberat, eſt enim non procul a litore inferi maris in Volſcis, ut ex Em: Corradino de Eccleſia Setina, aliiſque notum eſt: Cum iis populis id temporis nùllum bellum, immo ſumma pax.: etenim in poteſtate Romanorum erant, & mulro ante jam vìcti, & debellati, ut ex Livio, atque Halicarnaſſeo cognoſcere licet; Hiſtoricus tamen ad Longulam ventum eſſe, & in aciem Copias eductas, nec detrectaſſe pugnam hoſtes ait. Qui nam hoſtes, quæ tandem acies ibi erant? An ex Samnio ad inferi maris litus Marcius Cos gravì vulnere laborans, atque exigua in ſpe animam trahens tanto intervallo, tantaque celeritate cum toto exercitu advolavit; ibique ſtatim novus inimicorum exercitus, ut de Cadmo in fabulis legimus, è terra erupit; ùt dictator Papirius dici deberet? Adrides, opinor, lector, ſed rideas ſane: dum intelligas omnia per ſummam negligentiam turbata, atque confuſa, & fortaſſe à Marcii nomine, qui Coriolanus

lanus dictus fuit, quique Longulam cæpit, errandi occaſio orta eſt. Etenim quum illæ Copiæ, atque auxilia contra Etruſcos, noſtramque Longulam conſcripta fuiſſent, ibique bellum grave, & periculoſum imminetet ob Cimini terrorem, quis non videat eo fuiſſe miſſa, ubi revera ad Lacum Vadimonis paullo poſt pugnatum eſſe ab eodem Livio memoriæ proditum eſt. Diodorus Siculus libro vigeſimo Etruſcos ad omittendam Sutrii obſidionem coactos ſcribit, poſt quam Fabius εἰς τὴν ἀνωτέρω Τυῤῥηνίαν. i *in Superiorem Etruriam* clam inſciis hoſtibus penetravit διὰ τῆς τῶν ὁμόρων χώρας. i *per finitimorum regionem* (quod per Ciminium ſaltum ſignificare puto, qui Faliſcorum, & Nepeſinorum ex ea parte erat), quod ΚΑΣΤΟΛΑΑΝ expugnavit. Caſtola apud nos nomen eſt prorſus inauditum: Si conjecturæ locus datur ΛΟΓΓΟΛΑΑΝ reſtituere oporteret. Quid quod poſſumus ex Livio apertiſſime demonſtrare Marcii Conſulis milites ex Samnio non diſceſſiſſe? Nam mox ipſe auctor teſtatur in Samnitibus bellatum eſſe, & à Papirio triumphatum: minime igitur ad Longulam Volſcorum itum eſt: Quomodo ergo verum erit dictatorem ibi accepiſſe à Marcio Veteres milites? At, inquies, neque Papirius Etruriam petiit: nos quid ad hæc reſpondeamus non habemus: Illud unum defendimus de Longula Volſcorum ſermonem à Livio nullo modo haberi, ſed de noſtra potius, ac narrationi huic multa deeſſe, & plura, ut ex Diodoro cognoſcimus fuiſſe, confuſa. Ceterum à Marcio Tuſcos Victo sfuiſſeEutropius narrat ſubinitium libri ſecundi, idemque Diodorus Siculus libro vigeſimo ab ipſo relictum

fuiſſe

fuiſſe Fabium in Etruria poſtquam, cum eo copias diviſit, aperte teſtatur. Hæc ego jam ſcripſeram, quum in Annii libros incidi, quos nunquam antea legere volui. Is in inſtitutione quarta diligentiſſime hac de re agit: Sed more ſuo, ac ſtilo horridulo, affertque longam diſceptationem, quam publice habuit, præſertim cum Thoma Veltrio adoleſcente doctiſſimo, qui poſtea Epiſcopus Caſtrenſis fuit, ut ex Epiſtulis MSS. Cardin. Ægydii Viterbienſis didicimus, ab Ughellio, aliiſque præteritus; digna tamen mihi viſa, ut laudetur, atque aliis legenda proponatur; Ubi quoque hanc inſcriptionem refert antiquiſſimam

FAVL FALVCERES PELLVNT AGILLVM TIRANNVM
VETVLONES HOSTIIS PLACANT VOLTVRNAE VOLTVRNAM
AGILLAE STVLTIAE SVCCEDIT TARCON ET OCNVS
SIC TVRRHENA ETHVRAE LONGHOLA SANCTA MANET.

Putant vulgo hanc ab Annio eodem eſſe confictam; ſed mihi præter quam quod omnia cum veritate concordant, ut jam quisque cognoſcere poterit, hoc uno argumento ab omni ſuſpicione vindicari poſſe videtur, quod is Servii locum, quem retuli Cap. 2, Etruriæ ſignificationem, ab אתור Athur originem, atque orthographiam, quam hic optime ſervatam videmus prorſus ignoravit. Parcant igitur homines eruditi, ſi hos verſiculos in medium attuli; Fateor enim me in animum induxiſſe prius, ac decreviſſe, ne verbum quidem facere de iis, quæ ab Annio ſuppoſita creduntur, eo quod vi-

viderem omnia indubitata aliorum Scriptorum auctoritate probari poſſe; Sed quoniam eo tandem ſermo veluti ſua ſponte defluxit, hoc Ethuræ, ac Longulæ, Vetuloniæque teſtimonium peropportunum accidiſſe, & ab antiquo falſitatis nomine abſolutum præteriri non poſſe viſum eſt: Unicuique tamen ſuo uti judicio liberum ſit.

CAP. XXII.

Verrius Flaccus, ſeu Se: Pompejus reſtituitur de Arbea Etruriae noſtrae Urbe.

QUartum inter noſtra Oppida Arbea, ſeu Arbanum nominatur; ut ex topographia Celebriorum Urbium Italiæ apud Janſonium, atque apud alios èdita cognoſci poteſt; Ubi erat inſigne Herculis templum, quod Turrheni in illius honorem, à quo ſe ducere originem gloriabantur, ædificarunt; quodque quum SS. Martyres Valentinus, & Hilarius morte damnati ſunt, funditus concidit, ut patet ex eorum geſtis à Nardino juniore, & Splen. Pennazio, aliiſque editis, & à Card. Baronio laudatis in notis ad Martyrologium: Hoc idem confirmat Epigramma, quod ibi exſcripſit noſter Latinius in autographis.

R DEO

DEO HERCVLI
M. L. SPVRINNA
LEG. XI METAT
EX VOTO NVNC
SACRAVIT

Inter Arbanum, & Fanum Volturnæ Campus Faulæ puellæ jacet ab Hercule raptæ, ut ex Lactantio libro primo de falſa Relig. Capite vigeſimo, atque ex Servio in librum ſeptimum Æneidos ad Verſum: *Et Cimini cum monte lacum* .... colligimus, qaum ille ad nos venit, ſuarumque virium ſpecimen præbuit: Hoc Caſtrum apud majores noſtros celeberrimum fuit, & munitiſſimum propter frequentes turres, atque ipſius loci Naturam: Mons eſt enim undique fere præruptus, qui Caſtrum Herculis ad noſtram ætatem dictus eſt: atque ita appellat etiam Jannottus Tuſcanellenſis in MSS. parte tertia. p. 66. Hiſtoria SS. Martyrum Valentini, & Hilarii Caſtellum Viterbenſium dicit, quod etiam videmus in Auctaris Uſvardi: Caſtrum Viterbum in Bulla Leonis IV ſcriptum reperimus: Atque hinc proxima loca, ubi templum S. Angeli eſt, etiam poſt annum Milleſimum Burgum Biterbum nuncupata fuerunt. Hoc in cauſſa fuiſſe opinor, cur Deſiderius noſtras Vrbes unis mœnibus cingens illud natura, & arte ſatis firmum extra ſepta reliquerit, & ſub nomine Longulæ comprehenderit. Hæc an vera ſint ignoro, illud ſcio Mœnia ex ea parte uſque ad totum planum, ut vocant, Aſcreanum poſt annum milleſimum ducta fuiſſe, atque hinc ſolum ibi Caſtrum Herculis remanſiſſe ſuſpicor, poſt-

quam

quam Romanis viribus ceſſimus : præſertim quum figlinas prope Vicum Matrini, quæ Arbanæ dici debuiſſent, dictas Volturrenas jam ex Tegula ſepulcrali adnotaverim. Hinc quiſque poterit facile cognoſcere, & corrigere; mendum in libro Sex. Pompeii, ubi dicit à Lueero Arbeæ (non Ardeæ ut in editis male legitur) auxilium allatum fuiſſe Romulo contra Tatium : Verba auctoris ſunt : *Lucerenſes, & Luceres tertia pars populi Ro: eſt diſtributa à Tatio, & Romulo : appellati ſunt à Lucero Arbeæ Rege, qui auxilio fuit Romulo adverſus Tatium bellanti*. Lucumo, à quo Luceres, ut teſtis eſt Servius in l. 4 Æneidos ad verſum - *Tres equitum turmæ*, Propertius Elegia prima, & ſecunda l. 4., ac Varro libro 5 de L. L., non ex Ardea, neque ex Latio, ſed ex Etruria diſceſſit, quod ex Dionyſio libro ſecundo, Feſto verbo *Coelius*, Tacito libro quarto Annal., atque ex Claudii tabula Lugdunenſi, ut refert Lipſius ad eundem num. 152, clare cognoſcimus : & quamvis in nomine ducis, & tempore ſcriptores diſſentiant, cetera tamen non ambigua ſunt, ut ait idem Tacitus : hæc autem diverſitas ex eo accidit, quod non ſemel noſtri cum ſuo Larte in Romanorum auxilium venerunt. Simili modo corrigendus eſt alius ejuſdem grammatici locus, ubi ſcribit à Tiberino Rege Arbanorum noſtrum flumen nomen habuiſſe, vel à Tiberi Rege Tuſcorum : dubitandi, atque errandi occaſio orta eſt ex falſa lectione Tiberini Albanorum pro Tiberi Arbanorum Rege ; Sic enim legendum pronunciamus non proprio Marte à levi, vel nulla, ut plerumque fit con-

jectura; nam ut notat Servius reprehendens T. Livium, antequam Alba conderetur jam Tiberis hoc nomine vocabatur: Sed eum audiamus in Not. ad librum Octavum Æneidos ver: - *Immani Corpore Tibris* - *quod Livius dicit ab Albano Rege Tiberim dictum, non procedit; ideo quia etiam ante Albam Tiberis dictus invenitur*. Atque hic adnotandum eſt, quod quum ea quatuor Oppida in unam Metropolim coaleſcerent, quanvis ſingula ſuis cincta moenibus eſſent, modo huic, modo illi res geſtæ ab Hiſtoricis præſertim exteris adſcribebantur. Iam vero, quæ hactenus diximus, placet in pauca contrahere: Volturnæ Deum, ſeu Vertumnum ex Fano noſtro cum Lucumone veniſſe ex Propertio vidimus, contenduntque fere omnes Fanum Volturnæ eſſe Viterbium, ut oſtendimus Capite XIII. XIV, & XV. Ex Vetulonia Lucumonem profectum eſſe Cluverius ex Halicarnaſſeo demonſtrat, ut notavimus Capite XIX. Ex Arbano modo audivimus Feſtum: eundem Vertumnum fuiſſe Etruriæ Deum ex Varrone didicimus, Longulam ad Cimini juga ſitam modo probavimus, ubi πολίχνας συχνὰς i. *Vrbes contiguas* fuiſſe ex Strabone oſtendimus Capite ſeptimo: quid reſtat igitur, niſi ut Fanum, Arbanum, Vetuloniam, Longolam unam eamdemque Civitatem eſſe fateamur? Atque hujuſmodi ſunt Viterbienſium fabulæ, ut quidam dictitant, qui naſum habent rinocerontis, ſed hæc in re fortaſſe nimium hebetem, & parum emunctum. Scimus nonnullos irridere hæc (Jannottus parte tertia pag. 55), atque opponere Plinium non enumeraturum fuiſſe diſtincte, ac

diverſis

diverſis in locis Volturrenos cognomine Etruſcos, Tuſcanienſes, ac Vetulonienſes, ſi Civitas una eademque fuiſſet; Hac in obiectatione incredibile eſt, quam criſtæ illis aſſurgant: At nos reſpondemus ſcriptorem eundem Cluſinos novos, & Veteres referre, præterea Arretinos Veteres, Arretinos novos, Arretinos Julienſes, ut legit Harduinus in notis ad uſum Delphini, quos tamen unam pariter, eandemque Civitatem vulgo affirmant. Quod ſi longo aliarum Vrbium interiectu noſtras recenſet, id tantummodo alphabetico ordini, quem ſequitur tribuendum eſt. Opponunt prætera neque Arbeam, neque Arbanum unquam legi inter oppida Italiæ: Ardeam vero in Latio omnibus eſſe notam: ſed quis noſtrum eſt qui ſtans pede in uno non poſſit reſpondere? Atqui neque Lucumonem ex Latio veniſſe legimus, Sed ex Tuſcis: Vel indicent igitur ubi ſit Ardea apud nos, vel emendationem unius tantumlitterulæ æquo animo ſuſcipiant: quanquam mihi videor apud Livium libro decimo Cap. 17., ubi ad oppidum Adharnam, ſeu ut Sigonius habet Adharnaham ad caſtra Appii Prætoris iviſſe Fabium narrat, corruptè pro ad Arbeam à librariis ſcriptum: eo enim bello Etruſco Conſul iterum duxit exercitum, poſtquam in ſenatu ſe aperuiſſe Ciminiam ſilvam gloriatus eſt: Illud etiam non prætereundum Arbeam juſta liguam Hebraicam, à qua fluxit Etruſca, quartum ſignificare, ut legimus in lexicis ארבעה ſeu ארבע: Imo non unus eſt, qui à Beth-Arbaa Beterbon dictum putat à בית, & ארבעה quaſi Civitas quadruplex: quare cum aliis tribus oppidis fuiſſe veriſimilius eſt.

CAP.

C A P. XXIII.

Livii, aliorumque Opinio expenditur de Lucerum Nomine, & tribu: Virgilius, Dionyſius, aliique illuſtrati.

SED quoniam in Lucerum hiſtoriam belle incidimus, non committendum eſt, ut ſine diligentiore examine dimittantur. Ejus nominis, & originis cauſſam incertam eſſe affirmavit Livius, & fortaſſe etiam Aſconius, qui à luco Aſyli, quam à Lucumone, ſeu Lucero dictos eſſe malunt. Ex his ambagibus me expedire & vellem, & poſſem, ſi cum tantis viris contendere recuſarem. Sed quoniam Livius cum nominis originem in dubium revocat, tum opem à Noſtris Romanis latam ſilentio præterit, tantum noſtræ gentis decus ab oblivione vindicari æquus lector patiatur. Varro unus omnium Latinorum eruditiſſimus teſte Cicerone, ac D. Auguſtino, libro quarto LL. Luceres à Lucumone dictos ait, citatque Junium teſtem, & Volnium Tragœdiarum tuſcarum ſcriptorem, qui vocabula ea Tuſca eſſe dicebat. Paullo ante idem Varro opem Romulo allatam contra Sabinum Regem, Etruſcis militibus habitationem conceſſam, atque in Vico Tuſco Vertumni dedicationem explanat. Verba illius ſunt - *Ager primum diviſus in partes*

partes tres : à quo tribus appellatæ, ut ait Ennius : Tatienſes à Tatio, Ramneſes à Romulo; Luceres, ut Iunius, à Lucumone. Propertius Elegia prima, & ſecunda l. 4. idem confirmat, atque ab eo Lucmo, & Lycomedius dicitur.

Prima Galeritus poſuit prætoria Lucmo,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter eos.
Hinc Tatiens, Ramneſque viri, Lucereſque coloni:

& Elegia inſequenti Vertumnus loquitur

At tu Roma meis tribuiſti præmia Tuſcis,
Unde hodie Tuſcus nomina vicus habet:
Tempore quo ſociis venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

Verrius Flaccus, ſeu Feſtus de Verborum ſignificatione, Lucerenſes, atque etiam Lucomedi ab eo, qui auxilio fuit Romulo contra Tatium, nomen traxiſſe ſubſcribit, cujus verba retulimus Cap. Superiori : Servius in librum quartum Æneidos verſu *Tres equitum Turmæ*; non ſolum Varronis adſtipulator eſt, omnemque ambiguitatem contemnit, ſed Luceres à Lucumone dictos audacter, & ſine ulla dubitatione concludit : *Conſtat*, inquit, *tres fuiſſe partes populi Ro: Una Tatienſium a Tatio duce Sabinorum jam amico poſt fœdera: alteram Ramnetum a Romulo; tertiam Lucerum, quorum ſecundum Livium & nomen, & cauſa, in occulto ſunt: Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra* T. *Tatium a Lucumonibus, ideſt Tuſcis auxilium poſtulaſſe, unde quidam venit cum exercitu, cui recepto jam Tatio pars Urbis eſt data, unde in Urbe Tuſcus dictus eſt*

eſt Vicus: Ergo a Lucumone Luceres dicti ſunt; Ergo in tres partes diviſus erat Populus; adeo ut, qui etiam uni parti præerat, Tribunus *dicebatur, unde etiam ſumptus dati populo tributa nominantur*. Hactenus Servius. Enimvero poſt Varronem, Propertium, alioſque Luceres à Tuſcis ortos aſſerentes, poſt Vicum Tuſcum, Vertumni templum, auxilium allatum, aliaqua celeberrima, ſi Livius nomen, & cauſſam occultam tertiæ Tribus dicit, aliquam ſuſpicionem ſaltem negligentiæ, ut videre eſt apud Antonium Auguſtinum libro de legibus p. 21, ingeſſiſſe mirum eſſe non debet: Ceterum quod dicebamus confirmant grammatici ad verſum 106 lib. 3. Faſt.

Quin etiam partes totidem Tatienſibus *ille.*
Quoſque vocant Ramnes, Luceribuſque dedit.

neque prætereundus eſt veterum monumentorum peritiſſimus Virgilius, qui cum vitam ruſticam Romanis commendaret tres primas tribus eam in primis coluiſſe, atque eo pacto ad ſummum perveniſſe ſic ingenioſiſſime innuit libro ſecundo Georgicor. in fine.

Hanc olim Veteres vitam coluere Sabini, (ideſt Tatienſes)
Hanc Remus, & Frater (ſcilicet Ramnes) *ſic fortis Etruria crevit*,
(En Luceres) *Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma.*

Ad tot graviſſimos teſtes accedat etiam auctoritas Dionyſiii Hal., qui diſerte aſſerit tres primas tribus per genus, novas vero ſub Servio Tullo per loca fuiſſe diſtributas libro quarto Antiq., quod & notavit Sigonius Emend: libro primo cap. 37. Sylburgius in Not., & Manutius de Civ. Ro.: illius verba referemus, quæ non bene

bene intellecta ſunt à quibuſdam; Τύλλιος οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλάς τὰς γενικὰς στρατιωτικὰ ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικὰς ὑφ᾽ αὐτοῦ διαταχθείσας ἐποιεῖτο. *Tullius non jam juxta tres tribus per gentes, ſeu gentiles, ut antea, ſed juxta has quatuor locales a ſe digeſtas ordinabat militiam*. Illud γενικὰς dita opera Sigonius *diſtinctas per genus* interpretandum aſſerit, ut diſtinguatur à poſterioribus, quæ à locis nomen habuere, & topicæ fuerunt dictæ: Aſconius Patavinus ſubdubitat act. 1. in Verem § 78: *Per quinque & triginta tribus dividebatur totus populus: Tribus principio tres fuerunt Tatienſis a Tatio Rege, Ramnenſis altera a Romulo; Luceres altera a Lucumone, ſeu Lucretino, ſive a Luco, quem lucum Aſylum vocaverat Romulus*. Hæc referuntur è Samuele Pitiſco. V. *Luceres*, ſed (ò factum male!) Livium invidiæ, ac mendacii accuſat, citatque Antonini Annianum illud iter toties ab Eruditis homininibus damnatum, quum Varronis, reliquorumque teſtimonio contentus eſſe debuerat, qui præterea ea ipſa nomina Lucerum, & Ramnenſium Etruſca eſſe aſſeruit: Certe Roma ipſa vox eſt à noſtra digna deducta à רמח ideſt Romah, quod haſtam ſignificat, quare etiam per interpretationem Quiris, & Quirites Romani dicti ſunt, ideſt haſtati: Romulus enim non ſolum plura à noſtris fuit mutuatus, verum etiam prætoria à noſtro Lucumone accepit, ideſt, duodecim lictores ut explicat Annius, atque ex Propertio indubitatum videtur, quod & notavit Jo: Baptiſta Pius in Adnot. Cap. 25 ad Verſum *Prima Galeritus poſuit prætoria Lucmo*: qua-

re in grati animi monumentum erga noſtrates tertiam tribum ex iis conſtituiſſe opinor : & hanc quoque legem primum promulgaſſe, quam refert M. Tullius de legibus l. 2. *Etruria Principes diſciplinam doceto*: præſertim quum jus Pontificium à noſtris profectum teſtetur Macrobius Saturnalium libro ſeptimo cap. 13. Præterimus Accam Larentiam ipſius Romuli nutricem, quæ Carutii Tuſci coniux fuit, ut ait idem libro primo Saturnalium Capite decimo, quæque Romulum ipſum, & Populum Ro: nuncupavit hæredem, & divinis, ut teſtatur Lactantius, honoribus affecta eſt. Adde huc & tribus, & Curias, & Centurias eſſe noſtrum inventum: Audiatur Feſtus - *Rituales Etruſcorum libri, in quibus præſcriptum eſt, quo ritu condantur Vrbes, ædes ſacrentur, qua ſanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, Curiæ, Centuriæ diſtribuantur, exercitus conſtituantur, ceteraque hujuſmodi, quæ ad bellum ac pacem pertinent*: in hanc rem Famianus Nardinus l. 2. Romæ Antiq. Cap. primo Servium in librum decimum ſuccenturiat : *Mantua tres habuit tribus, quæ in quaternas Curias dividebantur, & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant, quos in tota Tuſcia XII fuiſſe manifeſtum eſt, ex quibus unus præerat* : Si igitur noſter Lucumo cum Volturnæ Deo Romam venit, ſi victoriam noſtrorum militum ope Romulus reportavit, ſi noſtri Tuſcum Vicum, & Cœlium Montem habitarunt, ſi ritus omnes, ac præſertim tribuum ordinem tradiderunt, ſi Roma Tyrrhenica Urbs erat, diuque ante Herculem tributum quotannis pependerat ; quin Luceres Etru-

Etruſci fuerint, & ſicut ad Vrbem defendendam, ſic etiam ad amplificandam venerint dubitare non poſſumus. Atque hoc illud erat, aut nos fallimur, in quo maximum pondus ſe habituros Lydi ſperabant teſte Tacito libro quarto Annalium, ut Cæſar reliquis Aſiæ populis poſthabitis etiam Ilienſibus templum Sardis ſtatueret, ſeſeque νεοκόρους faceret. Cur enim tantopere jactaſſent ſe eſſe Etruſcorum conſanguineos, idque recitato etiam noſtro Decreto veluti ſuæ ambitionis, ac Cauſſæ fundamentum jeciſſent, niſi noſtrates de Romanis optime meritos certo ſciſſent. Sed hactenus nos conjecturis, ac Veterum autoritate rem geſſimus: nunc res cum re, cauſſa cum cauſa, ratio cum ratione pugnabit. Si tribus Ramnenſis à Romulo, Tatienſis à Tatio nomen ſortitæ ſunt, cur tertia Lucerum, ut argumentatur ex Dionyſio Manutius de Civitate Ro: non à Duce, ſed à loco dicta eſt, quum ſolum quæ poſtea additæ ſunt poſt Tarquinium reliquæ tribus τοπικαὶ, ideſt *à loco*, tres primæ γενικαὶ, ideſt *a genere* nomen habuerint? Deinde illud quærimus: Romulus unde habuit, aut unde duxit milites, quos in aciem ſecum eduxit contra Sabinos, & finitimas gentes ob iram, iniuriamque raptarum mulierum armatas? Reſpondeat ipſe Livius: *Locus qui nunc ſeptus denſis ſentibus* (ſunt ejus verba l. 1. cap. 4. *inter Lucos eſt, Aſylum aperit: eo ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine liber, an ſervus eſſet avida novarum rerum perfugit: Idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit: quum jam virium haud pœniteret, conſilium deinde viribus parat*. Hic porro to-

 tam

tam raptarum Virginum injuriam narrat, ex qua illud bellum exarſit. Illi igitur, qui ſecuuti ſunt, Romu lum in hac pugna, ii ipſi ſunt, qui in lucum Aſyli convenerunt, Sabinaſque feminas rapuere: Nemo it inficias: At qui Romulum ſecuti ſunt, Ramnenſes dicti ſunt, ergo Ramnes à luco Aſyli venerunt, non Luceres. Reſtat igitur, ut veriſſima ſit Varronis ſententia, ac reliquorum, qui nobiſcum faciunt, à Lucumone, ſeu Lucero Arbeæ noſtræ Rege Lucerum tribum dictam aſſerentium.

CAP. XXIV.

Lapis Langobardicus Deſiderii defenditur.

EOrum, quæ diximus veritas per ſe ſatis nota eſt; atque ex ipſarum oppoſitionum conflictu veluti lux inter tenebras magis emicuit. Eſt enim admirabilis quædam continuatio, ſerieſque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnia inter ſe apta, colligataque videantur: quod profecto eſt proprius, atque præcipuus veræ narrationis character. Quatuor apud nos Urbes principes inter alia oppida teſtantur notiſſimæ, antiquiſſimæque noſtri ſtemmatis litteræ. F. A. V. L. i. *Fanum*, *Arbanum*, *Vetulonia*, *Longula*, ut jam ex Antiquis nummis oſtendimus, à quibus vetus quoque porta nomen habuit, ut ex hac inſcriptione ad Fanum Volturnæ, quod primum locum tenet, cognoſcere licet.

F A

F A

V L

ETRVRIÆ LVCVMONVM POMOERII PORTA OB QVATVOR IN EA LITERIS ÆNEIS EXCISIS QVADRIAERA PRIMVM, MOX POST VRBEM ADAVCTAM PORTICELLA NVNCVPATA HIC ANTE INSIGNITER SITA AD VIÆ HANC AMPLITVDINEM STRATÆ MAIESTATEM LOCIQVE AERIS SALVBRITATEM AVGENDAM PLANE DEMOLITVR POPVLVS HIC VOLTVRRENVS ANTIQVITATIS SVÆ AMATOR TVM AD TANTÆ ANTIQVITATIS PRÆSTATIAM DECLARANDAM TVM AD MIRACVLI INAVDITI DEIPARÆ AD TRINITATIS MEMORIAM POSTERIS PRODENDAM HIC HONORIS ET STVDII MOMVMENTVM POSVIT.

Verum alium teſtem habemus, de cujus fide etſi quidam immerito dubitarunt, nunc nemo unus ne in ſuſpicionem quidem falſitatis vocare poterit: Grevius enim, Velſerus, aliique in nupera Gruteri editione Deſiderii decretum illud ab omni nota vindicarunt. Hoc ante natum Annium, atque ante annum milleſimum quadrigenteſimum viſum, & deſcriptum fuiſſe certum eſt: & poſtea inter inſcriptiones antiquas relatum editas Venetiis per Jo: Tacuinum 1525 pagina 73 Nam titulus ſic ſe habet in eo libro:

Viterbi prope Epiſcopatum Characteribus longobardicis inſculptum Decretum Deſiderii Regis.

atqui eo loci, ideſt in Turri Majoris Eccleſiæ ab Anno 1219, quum fuit inventum inter ruinas Turris Demiati

miati celeberrimæ, atque antiquiſſimæ uſque ad annum 1380 ad ſummum manſit. Ex eo enim enim tempore in Curiam fuiſſe translatum noſtra monumenta teſtantur: ergo ante annum 1380, quum prope Epiſcopi domum erat deſcriptum fuit: neque ab Annio, qui nondum natus fuerat, confictum eſſe poteſt, ut credit Cluverius, qui libro ſecundo Ital. Ant. p. 164: *Vnde mihi* (ait) *præcipua ſuſpicio hunc hominem prædicti quoque Edicti Deſiderii Regis ineptum fuiſſe, atque abſurdum auctorem*. Sed audiant homines φιλομαθεῖς egregium contra hunc ſcriptorem Eruditiſſimi Lucæ Holſtenii teſtimonium, qui in ceteris de Annio male ſentit: Hic Vaticanus Chartophilax in notis ad ipſum Cluverium num. 56 ſic ſcribit ipſum reprehendens. *De hujus Decreti auctoritate nihil omnino dubitandum eſt, nam litteræ vere,* καὶ γνησίως *ſunt longobardicæ, & plane tales, quales in optimis, & antiquiſſimis Codicibus MSS. viſuntur, & in Viterbienſi Archivo ejus edicti memoria extat trecentis annis circiter ante natum* Annium, *neque illud humi effoſſum, ut cetera Annii figmenta, ſed Turri Majoris Eccleſiæ per aliquot ſæcula inſertum fuit, atque in Curiam translatum*. Lucæ Holſtenio ſubſcribit alter eruditiſſimus Canonicus noſter Raph. Fabrettus Inſcrip: Antiq. Cap. 6. p. 453, & veros Langobardicos Characteres fatetur, ut & jam Manutius in Orthographia verbo *Feſulæ*. Carolus Sigonius, ut illud videret, atque expenderet ad nos ſe contulit, cumque conſpexiſſet, ac non populari trutina examinaſſet ad noſtros converſus, qui ipſum honoris giatia deducebant, *gratulor*, inquit,

veſtræ

veſtræ Vrbi, quod tam nobile, ac Antiquum monumentum habet, ut nulla alia cum ea poſſit comparari. Hoc confirmat Volaterrani auctoritas; qui in ſua Hetruria p. 173 edit: Venet. non ſolum hujus inſcriptionis teſtimonium ſequitur, ſed etiam illius vetuſtatem, ut minime dubitabilem commendat: *In Antiqua*, inquit, *Deſiderii Longobardorum Regis Inſcriptione, quæ Viterbi adhuc cernitur litteris Longobardicis ....* Hunc enim ſub Alexandro VI, cum Annio ſcripſiſſe ex eodem libro apparet pagina 774. Hujus profecto tabulæ auctoritatem ipſi Characteres tuentur, quare Borghinii, aliorumque, qui illius litteras eorum temporum formam, ſtilumque non olere affirmarunt diligentiam requiro, atque inſcitiam incuſo. Habemus longum Clariſſimorum ſcriptorum Catalogum, qui Deſiderii Decretum exoſculantur, ſed nos non numero pugnamus: Scimus enim alios de eo dubitaſſe, & Cauſſas, quibus illud ſuſpectum habebant etiam attuliſſe: quare his reſpondendum erit: Ante tamen illud ob oculos ponere præſtabit.

Revocamus ſtatuta Regis Aiſtulfi contra Vetulonos edita, ut lacus non Tirenſium, ſed Vetulonum ſit, quia lacus magnus, ideo Italie, quia eorum ager prius eſt Italia dicta ab ibi ſede Itali ... Et ut ſuam Longulam non Longobardulam, ſed cognomine ſui ampliatoris Tirreni Terbum vocent: & ut ſub uno muro cingant ſua tria oppida Longulam, Vetuloniam, & Tirrenam Volturnam dictam Ethruriam, totamque Vrbem noſtra adiectione Viterbum pronuncient, ut Roda, & Civita Balneoregium

gium dici juſſimus. Permittimus pecuniis inprimi F. A. V. L. Sed amoveri Herculem, & poni S. Laurentium eorum Patronum, ſicut facit Roma, & Bononia: Iubemus quoque reparari Cortnientam, Dardanium, Aſſium, Foranum, Cornietum, & Tuſcanellum. Nos enim non ſumus Tuſcie deſtructores, ut apud Gallos accuſat Adrianus Papa: nam in Tuſcia edificavimus a fundamentis vobis quidem Volturrenis Calvellum, Vicumorchiannm, Balneariam, Barbaranum, & Gariofilum. Sentinatibus autem Auſdonias, & Rodacoſanum: Volaterris Rodacomalum, Lune Sergianum, & Petram Sanctam olim fanum Feronie: Focenſibus autem Sanctos Geminianum, & Miniatem. Feſulanis oppidum Munionis, in quod vagos, & ſparſos Arinianos, & palantes Fluentinos collegimus: rurſus antiquas plures nobiles Vrbes ampliavimus, & muris cinximus, & nunc idem agimus circa Lucam, Piſtorium, Aretium, Orbitum, & Ethruriam nunc Viterbum, cujus nomen, aut a nobis conſtituta decreta ſi quis violaverit aut capite puniatur, aut laqueo ſtranguletur: Hoc itaque non eſt Ethruriam deſtruere, ut nos arguit Hadrianus, qui pacem ultro a nobis oblatam reſpuit. Quare tibi Grimoalde Prefecte Viterbienſi præcipimus, ut quandiu dubia pax perſeverat jubeas omnes Tuſcie milites paratos eſſe in armis, & commeatus, & ſtipendia ſine avaritia fac in prontu habeamus, ut non ſolum occurre hoſtibus, ſed etiam illos inuadere ...... Non gravabis novis exactionibus Cives .... ex Papia venient ...... Viterbienſes ....

Contra

Dectacum de side tu te
gri locclue :- Ruotcamuſſc coaucac te
gir carcaulti conectac uecculonoſ edicac ualoccul
non catenſium & uecculonu ſiac qi loci mac g nuſ ideo lococlie
qi gotu a get pbur eſac loccli adi cacac acbibiſe de locli ded
& ucaſ cam loguloccm non logo bactdulam & coghomie uu amplaccotiſ act
teni act um uocant & uaſub uno mutc cingecnaſua ac ac oppidac logol
uecculoniac & catten ac uolacutnac diccccac gc ctub ac acacac q ubem nolactac
igedong uica etbum ptonun d enacuad etc d a & cuiecac baln eotegium dic
iuſſimi · P et mic acim3 p eaunuſ in pomi faculſe c mou eb hetaue & poniſacam lacuten
d um eotum pacct onu uacfacac tomac & bono niac · lubemuſ qit e pact ad cotnienac
dact damu cacllum fo acnum cotnieacu cauſean ellu · noſ enim non ſum3 acuſae deſactuac
eſ uac noſ apud galloſ acaccuſ cac adbacnuſ pcap ac · n cam lncaiſac edilicacuim3 ac fundacm
caſ uobiſ quidem uolcc ttenicaclue llu uicuotchiam u baln eab a bactbact acmu & gacboblu : ſenaci
nacabuſ acuac aculdoniaſ & todactofacnu · uolccacttı to dacomaclu lune ſet glanu pectacmiſ ac
olim focnum feto nie focrilibuſſ cor geminiacnu & mu iaccem : feſulaniſ oppidum munioniſ lnquo
uacgolſpactiſ acbnlacnoſ & paclacnaceſ flue nacln oſ coll egimuſ : Ruttuſ pluteſ anaquaſ nobileſ ut
eſ amplacuim3 & mupſ an xim3 & nunc idde m ac imuſ citacc lu ac piſcaonu ace dlu otbiccu
ac eachtub ac nuc uicactbum cuiuſ nomen acuac ac nobiſ conſacicauacac dactacac ſi quiſ uiolac
acuac eacpiat puniacacu t acucclaquto ſactangu & caut · hoclacaq3 non eſac eachtub ac deſact
uac noſ actgluac adbacnuſ qui pacem ac nobiſ ulacto oblacacacm teſpuiac · quac
bi gemo acld e ptefeccde u actbieniſ pt eeipimuſ uac quandiu dub
pax pet ſeu et acac lube acſ omneſ acuſcie miliaceſ pactacacoſ eſſe ln ac
niſ & comeacacuſ & ſ cai pendiac ſine auacp dac lnptom pacu h
beacſ uac non ſolu aci tte ho ſacibuſ ſ & & illoſ lnuacde
ciueſ non gtacuac iſ nouiſ exacaclonibuſ ·
ex pacpiac uenien
uiccet bieneſ
ubeſ exi

Contra hanc inſcriptionem, ſeu Epiſtolam tam variam, tam multiplicem, tot nominibus propriis, hiſtoriiſque refertam præſertim conditorum oppidorum, atque Urbium, quæ maxime memorabilia ſunt, & ſignata Civium faſtis, adeo ut facillimum eſſet aliquid falſi deprehendere; tria obiiciunt cum Cluverio adeo levia, atque inepta, ut nos ea confutare pigeat, ac pudeat: Sed illum audiamus pag. 564 Ital. Antiq. - *Viri illi, qui hoc marmor ſuſpectum habent tamquam adulterinum haud vanis ſententiam ſuam tueri poſſunt argumentis: quidpe Vetulonia Urbs longe remotiſſimo hinc fuit ſitu apud Populonium oppidum, & prima Italia ab Italo Siculorum Rege dicta non in Etruria, ſed in Latio, Sabinoque Agro conſtitit: Et quænam hic quatuor oppida fuerint, quæ in unius Vrbis muros coiverint haud facile diſpicio, niſi permultorum milliarium ambitum Vrbis fingas, cujus magnitudinis nulla unquam memorata eſt Vrbs in Etruria.* Hæc Cluverius: Iam vero, quod tam fidenter opponit Vetuloniam fuiſſe prope Populonium contra omnes veteres ſcriptores, ut vidimus Cap. 17, non opus eſt iterum verbis refellere. Quod vero plura oppida, ſeu Urbes bene cohæreant, quod & Dempſterus obiecit to: 2 De Etrur. Reg. p. 413; ex unico Lucumonis facto, ut alia miſſa faciamus, ipſo ſuffragante Cluverio Capite 22 demonſtravimus. Verum difficultas longe graviſſima, ſi ſuperis placet, illa eſt, quod ibi legitur noſtrum Agrum primum Italiam fuiſſe dictum, quod maxime abſurdum ei viſum eſt: Sed quam multa hic auctor turbat, & peccat Deus Imm:!

Querebamur antea, quod ea quæ parum explorata haberet tamquam certa, atque indubitata, velut ex tripode pronunciaret: nunc illud etiam dolendum eſt, quod tanto itinerum impendio, tanto ſtudiorum labore, tanta magiſtrorum mercede litteras ſuorum Gotthorum non bene didicerit: Sic enim diſertiſſime, planiſſimeque in eo ſcriptum eſt: Lacus *non Tirenſium, ſed Vetulonum ſit, quod* Lacus *magnus ideo Italiæ, quia eorum ager prius eſt Italia dicta*: *Prius*, inquit, *Italia dicta*, non *primus*, quod quam ſit diverſum non verbo ſolum, ſed etiam re, quiſque ſatis intelligit. Quamvis enim falſum eſſet noſtrum agrum primum omnium eo nomine fuiſſe appellatum, veriſſimum tamen eſſe poteſt ſuperioribus illis temporibus, quum *ſæpius & nomen poſuit Saturnia tellus*, ut ait Virgilius, & vel apud Sabinos, vel ut alii malunt inter Scylleticum, Lameticumque ſinum Italiæ appellatio cœpta eſt; apud nos etiam eandem conſuetudinem in primis incepiſſe: Non enim ſtatim, eodemque tempore per totum Oenotriæ terræ tractum, ſed paullatim, ac veluti per partes prius apud has, poſtea apud illas gentes ille uſus invaluit: *Heſperia* (inquit Sigonins in principio de Jure Italiæ, *Auſonia*, *Oenotria*, *Saturnia*, *ac demum etiam Italiæ partium tunc fuerunt nomina*, *non totius*: quamquam non hic id agitur à Deſiderio, ſed ſolum contendit prius agrum Vetulonum fuiſſe appellatum Italiam, quam Tyrenſium: quod haud mirum eſt non intellexiſſe Cluverium, cum non intellexerit Annius. Verum Italiæ nomen ubicumque, ac quomodocumque vult

vult ipſe Cluverius accipiat. Quid tamen impedimento eſt, quin tota terra hoc nomine nuncupata ager aliquis hoc nomine appellaretur? Nonne inter Feſulas, & Arretium *Regio Etruſci Campi* teſte Livio l. 32. cap. 3 & 4. dicebantur, quum Hetruſci reliqui dicerentur, atque adhuc dicantur? Nonne ſuper jugum Apennini planicies eſt ampla, ut Antonii Galatæi verbis utar de ſitu Japygiæ p. 107, quam incolæ appellant Campos Latinos? Non longe à Faventia Ager ampliſſimus eſt Africa dictus: olim à Staberia gente totus, & nunc quoque ſaltem in parte poſſeſſus, de quo loquitur Horatius l. 2 Sermon. Sat. 3. *Frumenti quantum metit Africa*: Sed fac primum dicere, ut legit Cluverius: Ex hoc ne falſum eſſe convincet? Quaſi vero certum, atque indubitatum jam ſit, unde Italiæ vox primo inceperit: opinantur plerique, quos legit ipſe adverſarius, in primiſque Servius ad librum primum, & octavum Æneidos illud nomen primo his locis, in quibus poſtea Lavinium conditum eſt, ab Italo fuiſſe impertitum. Hanc opinionem, quam Thucididis etiam fuiſſe affirmat idem Geographus, amplectendam cenſet (quam belle ad rem noſtram! Nam in eo Agro Turrhenam Sedem, noſtramque Coloniam fuiſſe vidimus Capite 12.) At Ariſtoteles politicorum Libro Septimo, & Antiochus Syracuſ. apud Dionyſium l. 1. Antiq., eam Europæ oram, quæ Lametico, Scylleticoque ſinu continetur primum omnium Italiæ nomen putat fuiſſe conſecutam. Italus vero, ut ſententiarum varietatem melius quis noſcat, modo ab iis Oenotrum, modo ab illis Siculum

dictum vidimus : immo Hyginus fabula 125 Italum Penelopis filium fuiſſe affirmavit, & Siculos Falerium, & Feſcennium olim habitaſſe tradit idem Halicarnaſſeus: præterimus opinionem Feſti, Columellæ, Gellii, & Varronis, qui Italiam à Tauro, ac Vitulis fuiſſe dictam opinantur, ut jam ex Feſto breviter attigimus. Audiatur Tzetzes, qui ſe tam multæ lectionis fuiſſe gloriatur: Chiliadum l. 1. cap. 36 τυῤῥηνοὶ γὰρ ἰταλὸν καλοῦσι πῶς τὸν ταῦρον 1. *Etruſci Italum appellant Taurum*. Non eſt animus nunc crambem recoquere repetendo Vituloniam ab Italo dictam: Cluverius ipſe lacum, de quo controverſia eſt, magnum Italiæ ex Plinio appellatum fuiſſe norat. Hoc digerere, hoc concoquere debebat, non Annii umbras perſequi. Nobis modo ſatis eſt oſtendere incertam ejus nominis originem, quare nihil mirum ſi noſtrates hanc ſibi gloriam præcipuo quodam jure aſſerebant: nam etiamſi nullum præſidium ſive in hiſtoria, ſive in auctoritate veterum habuiſſent, parcendum tamen eſſet: datur enim hæc venia antiquitati, ut Urbium primordia auguſtiora faciat, teſte Livio, & non ſolum à ſummis Viris, ſed etiam miſcendo humana divinis à diis ipſis Civitates ortum habuiſſe glorientur: Putamus nos præterea Deſiderium ea omnia reſcripſiſſe juxta ſupplicem libellum à Viterbienſibus ipſi oblatum quibuſcum diu verſatus, dum ſub Aiſtulfo Tuſciam noſtram moderabatur, de tota re jam doctus fuerat, impenſiuſque illis favebat, quod ſibi ducebat honori, ſi ad reliqua ornamenta, privilegia, atque encomia noſtræ Urbis, quam Etruſci Ducatus

Me-

Metropolim, ſuamque Sedem decreverat, tantæ præterea laudis jam inde ab Itali imperio repetitæ veluti cumulus reliquis omnibus glorioſior accederet.

CAP. XXV.

Atlas Italus Electræ Pater: Curetes progenitores Tuſcorum: unde in Phrygiam profecti cum Dardano.

NOſtrates igitur Atlantem Italum, quem Telamonem teſte Servio in librum primum Æneidos, & Dyrim teſte Plinio Libro Quinto Capite Quinto, & Strabone Libro Decimoſeptimo alii appellabant; Etruriæ Agrum, atque Urbem tenuiſſe gloriabantur, cujus appendix erat Volſinienſes inter, & Tarquinienſes lacus Magnus Italiæ à Majoribus dictus, ut ex Plinio colligimus l. 2. cap. 95, atque eodem Deſiderio. Magnitudine autem ſic fuiſſe appellatum credibile non eſt, quum Larius, & Benacus Ludius dictus multo majores exiſtant, ut ex Servio, & Virgilio alii adnotarunt in illud II Georgicorum.

Anne Lacus tantos, & te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino?

& quum in noſtra Hetruria bis tanto fere major Traſimenus exiſtat: Ergo à ſede Itali Magnus Italiæ Lacus veriſimilius dictus videtur, ſeu potius lacus Magnus Itali: Atlantes quidam tres enumerant, Virgilius tamen,

men, & Aratus unum tantum noſſe videntur, dum maximo Electram, ut Majam ille, hic præterea alias quinque Pleiadas attribuit in Phenomenis.

Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελενώ τε Ἠλέκτρη τε
Καὶ Στερόπη, καὶ Ταϋγέτη καὶ Πότνια Μαῖα. 1
Alcyone, Meropeque, Celenoque, Electraque
Et Sterope & Taygete, & Veneranda Maja

Ovidius quoque l. 4. Faſt. v. 82. uni Atlanti omnes attribuit, ſicut Heſiodus in principio l. 2. Πληϊάδων Ἀτλαγενέων,

Pleiades ncipient humeros relevare paternos,
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent. & l. 5. ver. 47
Hinc ſata Plejone cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama eſt, Plejadaſque parit.

Dionyſius pariter l. 1. ἄτλαντι θυγατέρες ἦσαν ἑπτὰ, αἳ νῦν ἐν οὐρανῷ κατηστερίσθαι λεγόμεναι πλειάδες ἐπίκλησιν, ὧν μίαν μὲν Ἠλέκτραν Ζεὺς γαμεῖ, καὶ γεννᾷ ἐξ αὐτῆς Ιάσον καὶ Δάρδανον. 1. *Atlanti filiæ fuere ſeptem nunc relatæ inter ſidera nomine Plejadum: Unam ex his Electram duxit Iuppiter, ex qua ſuſcepit filios Iaſium, & Dardanum.* Idem teſtatur Hyginus l. 2. de Signis Cœleſtibus. cap. 22. Nomina quoque ſingularum refert Diodorus Sic: l. 4. 5; eidemque patri omnes adſcribit, cujus verba omittam, ne græca quibuſdam invidioſa ſemper inculcem. Certe ſine ulla controverſia conſtat Atlantem Italum Electræ Patrem fuiſſe: Hæc ſi Jovi nupſit, ut ex Halicarnaſſeo vidimus, aliiſque auctoribus indubitatum eſt, recte quis colliget in Italia cum aliis eam fuiſſe: Nam Saturnum Iovis patrem, & Fratrem Atlantis

Atlantis apud nos regnaſſe tradit Diodorus eodem loco. Servius in l. 8. Æneidos, & Lactantius l. 1. cap. ultimo mirum in modum hæc confirmant: Scribunt enim Electram Corito nuptam, qui teſte Virgilio, Silio, & Numatiano apud noſtros Etruſcos ſedem habuit: nullo negocio oſtendere poſſem Iovem, & Coritum eſſe eundem, atque hinc ortam opinionum varietatem: Apud Tuſcos enim Itis ad Iovem refertur, ut docet Macrobius l. 1. Saturn. cap. 14. Hinc noſcas græcorum ſcriptorum fidem: alii enim, inter quos Diodorus, Electram, & Dardanum cum Cutetibus non ex Italia, ſed ex Samothracia in Phrygiam veniſſe narrant: alii apud Halicarnaſſeum ex Peloponneſo, atque Arcadia diſceſſiſſe, & petiiſſe Samothraciam: Mnaſeas apud Stephanum περὶ τῶν πόλεων aliunde profectum dicit. Verum ex ipſis græcis Scriptoribus eruere conaber, unde diſceſſerint, quamvis aperte nunquam faſſi ſint. Ariſtoteles ἐν τῇ τεγεατῶν πολιτείᾳ narrat βαρβάρους τὴν ἀρκαδίαν ᾠκῆσαι, ut refert Ariſtophanis interpres in Nubibus πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην. i. *Barbaros habitaviſſe Arcadiam, antequam Luna oriretur*. Lucianus non ſemel, ſed præcipue in Deorum concilio Attim, Corybantes, & Sabatium græcos eſſe negat, ſed aliunde accerſitos: idem Diodorus de Samothracibus l. 6. cap. 11. Aborigines quoſdam eam tenuiſſe inſulam, memoriæ prodit, qui narrare ſoliti erant ante Deucalionis diluvium apud ipſos aliud majus extitiſſe. Quis non videat hos Aborigines eos eſſe, qui Electram, & Curetas ſecuti ſunt in Peloponneſum, atque inde in Samothraciam,

ciam, quique ex Italia diſceſſerunt? Noſtri enim αὐτόχθονας 1. Aborigines teſte Dionyſio ſeſe dicebant, & Curetum progeniem, ut ex Valerio Max. adnotavimus, qui ex diluvio orti ſunt adeo, ut non multo poſt Noe cataclíſmum Italiam tenuiſſe dubitari non poſſit. Umbri certe noſtris contermini, & fortaſſe conſanguinei dicti ſunt ab imbribus terras inundantibus, ut teſtatur Plinius l. 3. cap. 14. Solinus cap. 8., Servius ad Librum XII Æneidos v. 753, & Iſidorus Origin. l. 14. cap. 4. At Græci primum, & antiquiſſimum diluvium illud Deucalionis credebant; quum octingentis fere annis poſt Noe acciderit, atque in ipſo omnia contigiſſe, quæ in illo evenerunt, inſita credulitate, & vanitate ſcripſerunt: Sic Lucianus libro de Dea Syria Deucalionem ſolum hominum ſuperſtitem fuiſſe dicit in ſecundam generationem pietatis gratia, quippe λαρνάκα μεγάλην 1. Arcam Magnam cum uxore, & liberis aſcendit, & cum ipſo quoque pecudes binæ ex unoquoque genere: Cui adde Plutarchum de Solertia Animalium Columbam è Deucalionis Arca emiſſam περιστερὰν ἐκ τῆς λαρνάκος ἀφιεμένην narrantem: quare jure, meritoque Græci à Joſepho reprehenduntur l. 1. contra Appionem, ut inopes cognitionis veræ hiſtoriæ, & rerum Antiquarum: Similiter contemnitur ipſe Solon ut puer ab Ægyptio Sacerdote apud Platonem in Timæo. A Tertuliano quoque irridentur Latini in Apologetico adverſus Gentes, quod Saturnum primum deorum noverint. Certe apud nos Ianus, vel Iane, ut Salii pronunciabant, multo ante erat celebris; quare Ovidius ipſum alloquens l. 1. Faſt. belle cecinit.

Quem

Quem tamen eſſe Deum te dicam Iane biformis.
Nam tibi par nullum Græcia Numen habet.

Ex his omnibus igitur nobis videtur certiſſimum in Italia prius hos fuiſſe Heroas, atque hos ipſos populos, & poſtea ſeſe in Peloponneſum, & Phrygiam deportaſſe: Sed de Dardano Atlantis Nepote audiamus ἱςορικώτατον Virgilium, qui ſic l. 7. loquentem Latinum Regem facit.

Atque equidem memini, fama eſt obſcurior annis,
Aruntes ita ferre Senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad Vrbes,
Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Coriti Tyrrhena ab ſede profectum
Aurea nunc ſolio ſtellantis Regia Cœli
Accipit, & numerum Divorum altaribus auget.

At Græci Italis hanc laudem nunquam aperte conceſſerunt: neque hoc unice nobis dolendum eſt: quis enim ignorat multa, eaque utiliſſima à Chaldæis, Phœnicibus, atque Ægyptiis illos accepiſſe, nihilo tamen minus ſeſe omnia inveniſſe, ſe primos, ſe ſolos, totiuſque Aſiæ, atque Europæ cultores, ac Magiſtros fere eſſe gloriati ſunt, ac nominum Latinorum, atque etiam barbarorum impoſitores. Jam vero ſi quam habent auctoritatem vetuſta locorum nomina, ſi quod pondus, atque momentum in tanta antiquitate majorum per manus tradita monumenta, nullus ager eſt, ubi tot exſtent argumenta, quot & quanta ſunt apud nos de Heroibus his. Eſt Caſtrum Dardani, cujus meminit Deſiderii Epiſtola. Eſt Cort - Ilianum prope Muſarnum,

& mons Raſenus à Raſena duce dictus, cujus meminit Dionyſius: prope Palenſanum Electræ fons eſt: ſunt & Jaſii thermæ, quorum meminit Baccius, & Celenus à nomine oppidum, ubi non multis ab hinc annis illius ſimulacrum inventum eſt. Haud procul mons Orionis, qui duodecim annos procando Plejades inſequutus eſt. Eſt mons Majæ, ſeu Mææ, ut noſtrates appellant: Sunt Mercuris filii Tuſcanicæ ſtatuæ, qui Etruſce Camillus, ideſt miniſter, ut docet Varro, Feſtus, Servius, & Macrobius, dictus eſt. Hoc idem ex Dionyſidoro adnotavit ſcholiaſtes Appollonii Rhodii ad librum primum. Ab eo dicti ſunt Aruntes Camillarii, ad quorum pontem capite damnati fuerunt SS. Martyres Valentinus, & Hilarius, ut legitur in antiqua eorum hiſtoria MSS. in Bibliotheca Vallicellana, & ſæpe etiam typis edita. Locus ille Mont-Aruntis adhuc nomen retinet: atque ab eo Sacra Aruntia nomen habuere, quæ Tages inſtituit prope noſtrum Agrum exortus, de quibus meminit Servius in l. 4. Æneidos verſu *Nec pater Omnipotens*. cetera - *Sciendum ſecundum Aruſpicinæ libros, & Sacra Aruntia, quæ Tages compeſuiſſe dicitur fata decem annis quadam ratione differri*: Idem Servius inter Aruſpicinæ inſtituta etiam librum terræ Ruris Etruriæ enumerat in librum primum Æneidos ſub initium. Quidam pro Sacris Aruntiis Sacra Acherontia ſubſtituerunt, ſed antiqui Codices Aruntia habent, ut teſtatur Lindebrogius in Ammianum l. 17., & Canterus in lib. 2. Arnobii, qui pariter eorundem meminerunt. Locum prope Arcem a Cardinali Ægydio Albur-

Alburnozio conditam, & Cœnobium PP. Franciſcanorum oſtendunt noſtrates, ubi Atlantis domum fuiſſe dicunt, & quibuſdam litteratis lapidibus teſtari conati ſunt: omnia hæc nos commenta, nugas, & gerras pluſquam ſiculas, ſi concedi quis poſtulat eſſe concedemus. Nihil in his fundamenti, nihil præſidii ad hiſtoriæ antiquæ veritatem aſſerendam eſſe prædicamus. Antiquiores ſunt Dardanus, & Electra, quam ut his ruderibus, ac nominum reliquiis poſſit oſtendi apud nos eſſe verſatos. Quam multa ſupprimere cogor, ne videar eruditorum lectorum patientia, ac commitate abuti!

CAP. XXVI.

Cybele apud nos culta: Statuæ effoſſæ veriſſimæ. Latinius excuſatur. Italus non Atlas, ſed Athur fuit.

SED Audacter pauca de Cybellaria dicenda ſunt, & ſine ulla erroris formidine. Locus hic celeberrimus eſt, qua noſter Ager Tuſcanellùm modo ſpectat. Ibi Turritæ Cybeles, & Iaſii, atque Hermiones, aliæque ingentes ſtatuæ repertæ ſunt teſte Franciſco Alberti l. 2. de Mirabil. Romæ cum Etruſcis litteris, quæ ab Alexandro VI Romam deportatæ fuerunt. At vero Cybelem Mæonis, & Dindymenes filiam eſſe teſtatur Dio-

dorus l. 3., Euſebius præparat. l. 2, & Bochartus in Phaleg. l. 2. cap. 12, ubi de noſtris Lydis agit. Cybelem vero Jaſio nuptam Corybantem genuiſſe, & poſt ad Deos translato Conjuge cum Dardano, ac Curetibus Sacra Deorum Matris in Phrygiam detuliſſe narrat idem Diodorus l. 6. cap. 11. Incredibile eſt quot, & quanta eo loci ſint hujus antiquitatis Signa, ac quotidie reperiantur. Equidem etſi nullum aliud de his, quæ diximus argumentum haberemus, hoc tam evidens, atque adeo notum eſt, ut vel vocari in dubium ſine ſumma improbitate non poſſit: quare mirum eſt Latinum Latinium hominem gravem, & eruditum irridendorum ſuorum Civium aliis facultatem dediſſe, quum ab Annio ea ſigna conficta cum inſcriptionibus, ibique abſcondita fuiſſe Antonio Auguſtino, reliquiſque ſuis amicis feſtive narrabat. Nimium profecto laudat, qui ſic irridet: nam quo tandem pacto tot Statuas moliri, atque inſcriptiones Characteribus ejus ætatis adeo propriis potuit effingere; quonam modo in ea loca inferre prope Tuſcanellum, quin nemo id ſentiret, atque animadverteret, quum non ſolum multæ operæ, ſed ne centena quidem boum juga ſatisfuiſſent? Is ne tot pulcherrima Vaſa, tot pretioſiſſima ſigna, is elegentiſſimum, & vetuſtiſſimum de Oſiride Hieroglyphicum, quod refert Pierius Valerianus abſcondit? Is ne inſcriptionem centum annis poſt à Cardinali noſtro Gubellutio repertam, quam refert Reineſius, ſuppoſuit: QVATERNO POPVLO ETRVSCO? Cum primum Statuæ Cybeles, aliæque inventę fuerunt, aberat Annius, ut

ex

ex meditationibus MSS. ad nonnullas inſcriptiones veteres Lælii de Manfredis, qui tunc Viterbi cum Alexandro VI morabatur, colligimus: Meditationes eę extant apud Ill. Dominum Abb. Dominicum Sandreanum Urbinatem, quarum exemplum ab ipſo accepit; ac nobiſcum communicavit eruditiſ. Amicus noſter Petrus Pollidorus. Quotidie vero reperiri in noſtro territorio antiquitates hujuſmodi teſtatur etiam Ill. Blanchinus in Hiſtoria univerſali Cap. 32., & Fontaninus in Antiq. Hort. l. 1. c. 7., & Philippus Bonaruoti in obſervationibus ad Dempſterum. Immortalis Memorię Michael Angelus de Comitibus poſtea Innocentius XIII P. M. quamplurima reperit, & Viterbium tranſtulit, ut ego adoleſcens publica gratiarum Actione, quam typis etiam edidi, e ſuperiori loco gratias egi. In ea Oratione acerrimi judiciis Principem, atque aſſentationum, leviorumque laudum oſorem perpetuum ſic ſum allocutus: *Addidiſti quandam æternitatem elapſis temporibus Cybellariis ſignis, invidiam, qua apud litteratos homines premebamur, compreſſiſti, ſcriptores rerum noſtrarum ab inveterata nimiæ credulitatis infamia vindicaſti, ac noſtræ Vrbis originem ultra Antiquitatis terminos clariſſimis Hetruſcorum monumentis extendiſti: Contendet cum hac, ut ita dicam antiqua æternitate futura poſteritas, nec cedent præteritis temporibus futura ſæcula: & ſi quæ antea in nos beneficia contuliſti, jam inde ab Etruſca vetuſtate ducuntur, ut initio carere videantur; illa eadem ab hac divina Epiſcopi poteſtate amplificata debitam jure optimo expectationem ſuſtinent memoriæ ſempiternæ.*

Non

Non multis ab hinc annis ad Fanum Volturnæ Muſivi operis pavimentum, ut jam diximus, atque alia multa reperta ſunt: Paullo poſt ad vallem Gammaræ duodeviginti ſtatuæ effoſſæ fuerunt Etruſci pariter operis in loco uno: Alia complura apud locum Belcenum appellatum ſemiruta tamen, & fracta. Annius ne hæc omnia terræ mandavit? Is ne dolo malo effinxit? At cur in Lucem non protulit? An ſemen aliquod magicum ſparſit, quod noctro ſæculo pullularet, ac talia effunderet? O artem incredibilem, o inauditas præſtigias! Sed hæc, & alia plura omittimus, quæ ab Eruditiſ: P.Fen.Buſſio deſcribuntur, & explicantur. Ægre enim, atque iniquo animo hæc ſcripſi, quum Latinii nomen non ſolum amare, & colere, ſed ipſius eruditioni, ac Bibliothecæ, quam Viterbienſi Eccleſiæ legavit, me plurimum debere profitear. Quamquum excuſatione, ac venia dignus eſt: Adoleſcens enim Senis ſtudiorum cauſſa verſatus, reliquum ætatis tempus Romæ graviſſimis ſtudiis delectatus inſumſit, & ſuam Patriam rariſſime inviſit, ac noſtra monumenta ne ſemel quidem aſpexit.

Ut verum tamen fatear, quod de Atlante hactenus diſſerui magis ex vulgi opinione ab Annii ſcriptis hauſta, quam ex meo ſenſu deprompta ſunt. Ego enim Atlantem, atque Italum diverſos eſſe ſemper ſum ſuſpicatus, quia nunquam Plejadas Itali filias vocatas apud idoneos ſcriptores invenio, & quia video maximum Atlantem Italicum quidem appellatum à Servio in librum octavum Æneidos ad verſum - *Dardanus Iliacæ*, cetera; Sed inde potius coniicio eſſe nomen gentile, non

non proprium, ut diſtingueretur à duobus aliis ejuſdem nominis Mauro, atque Arcadico, quos refert itidem Servius juxta communem opinionem eodem loco. Præterea Atlas Japeti filius Ἰαπετοῖο παῖς dicitur in hymnis Orphicis, & ab Ovidio libro quarto Metamorph. v. 632., & fratrem habuit Heſperum, à qua Italia Heſperia nomen habuit, ut notat idem Virgilii interpres ad verſum libri primi - *Eſt locus Heſperiam*. cetera. Italus vero fratres habuit Sabinum, & Sicanum, ſi Iſidoro credimus Originum libro nono, & paullo poſt ab eodem Servio diſerte ab Atlante diſtinguitur, Italuſque Siciliæ Rex dicitur, ideſt locorum circa Tiberim, ubi Roma eſt, quæ ab hujus filia nomen habuit teſte Plutarcho in principio Vitæ Romuli. Sed ut ad nos redeamus, neque hic eſt Italus, quem per tot ambages inquirimus, quique ſedem in noſtro agro decrevit: Multa facem præferunt, & primo quidem ejuſdem lacus nomina: hic enim Tyrenſis à Tura dictus eſt, qui Martis cognomen habuit, eidemque lacui impertitus eſt, ut alibi adnotamus. Veriſimilius videtur igitur hoc nomen Italiæ ab eodem derivaſſe, qui Turas, & Italus dictus ſit, ut cognomentum illud nunc prætereamus: At Turas, atque Italus idem eſſe, quis crederet niſi certiſſima etymologiæ ratio demonſtraret? Age igitur de more videamus. Athur apud Ægyptios, ut שור apud Hebræos, & תור apud Caldæos idem eſt, ac Vitulus, Bos, ſeu Taurus: Videatur Pagninus & Buxtorfius in lexico, & Heſychius verbo ἀθὺρ, ergo idem eſt Athur, atque Italus, idemque eſt Lacus Turæ, & Lacus Italiæ ſe-

cundum

cundum Etruſcam pronunciationem antiquam; quem aquas Taurinas dictas quoque non dubito in Martyrologio XI Kal. Ianuarias, ut Capite vigeſimo octavo me, lius expendemus. Si quis vero ab Athur, ſeu Athyr, ſeu Atys, quæ ſola dialecto diverſa ſunt, totam Italiam etiam denominatam crederet, non aberraret, ſuffragatoremque haberet Se: Pompejum de Verb. Signif., qui teſtatur non ſolum ab Italis, hoc eſt à Tauris, verum etiam ab Atte Lydo appellatam, hoc eſt, ut interpretor, quum aureus ille liber lacunas habeat innumeras, ἀπὸ τοῦ ἄτυος qui Lydi Pater fuit: Verum non Attalia dicta eſt, ut putat Scaliger in Not: Var., ſed Italia, & à Tura Turrhenia, ut jam Capite ſecundo demonſtravimus. Atque ut Athur, ſeu Atys, quem Lydum appellat Feſtus noſter eſſe probetur, illud etiam animadvertendum, quod addit idem Heſychius nempe ab Athyr ἀθύρειν *Athyrin* quoque oriri, quod ludere apud græcos ſignificat, & noſtros Etruſcos, & Athuros, & Ludos ideo quoque appellatos, & ludis originem, nomenque dediſſe, atque ob eam rem ſæpe à Romanis accerſitos, quod narrat Livius, Valerius Ma:, atque alii.

CAP.

CAP. XXVII.

Veterum Mos, & Horatii præceptum de imponendis nominibus expenditur: De noſtra Urbe, quæ prius Etruria, & Bet - Terbon dicebatur Viterbum in Galiis Palæologorum origo, & Borghinii confutatio.

AT Vir eruditiſſimus Romæ alia duo nobis objecit contra eandem Deſiderii Epiſtolam neque diſſimulanda, neque contemnenda: alterum eſt Deſiderium Rodam, & Civicam Balneoregium dici juſſiſſe, quum tamen multo ante in S. Gregorii Epiſtolis, atque in Anonymo Ravennate ejus nominis mentio fiat: alterum noſtram Urbem Viterbum appellaſſe, quod pariter in eodem Anonymo, qui ante Deſiderium ſcripſit; reperitur. Hunc enim geographum ad annum Chriſti D. N. Septingenteſimum floruiſſe non levibus conjecturis conſecutus eſt Cl. illius Scholiaſtes Porcheronius: In vetuſtis actis quoque SS. Martyrum Valentini, & Hilarii Viterbum legitur, & compluries Viterbenſes, quod etiam ex Vita Zachariæ Papæ apud Anaſtaſium objecit Dempſterus to: 2. p. 413. Ergo ajebat illud edictum confictum eſt, ac manifeſtiſſimæ falſitatis convincitur.

Et ecce tibi contra Annium ab iiſdem adverſariis telum anceps, atque utraque parte acutum: Scribit enim Viterbum ita appellatum à Deſiderio ex Verbis Decreti ipſius, quum antea Etruria diceretur; immo cum hujus nominis etymon quærit Quæſtione XVI adeo inepta, ac puerilia profert, ut ſtomachum moveat, & nunquam ante ea tempora id nominis extitiſſe opinetur. At vero quum in Commentariis Decreti Deſideriani de Palæologis loquitur, ex Monumentis vetuſtis narrat Viterbienſem quendam cum Sum: Pontifice Coſtantino Bizantium ſe contuliſſe, quod ante Deſiderium contigiſſe ipſe alio loco fatetur, atque à Viterbi nomine, quod Græci quaſi Vetus Verbum interpretabantur, Παλαιόλογον, ideſt Palæologum dictum. Palæologos ex Viterbio oriundos cum Volaterrano Anthropologiæ libro vigeſimo tertio, cum eruditiſ: Jac: Gretſero S. J. in notis ad hiſtoriam Bizantinam, & cum aliis ſcriptoribus ipſi Viterbienſes jactitant, oſtentantque Epiſtulam Michaelis Imp. Conſtantinopolitani ad Urbanum IV, quam laudat Petrus Corretinus in Chronologia Epiſcoporum pagina 126, ubi Palæologus ſuos Majores Viterbi ortos, quod Vetuloniam etiam appellat, commemorat, gratulaturque, quod ſummus Pontifex Urbanus ibi fuerit electus. In Templo S. Mariæ de Paradiſo PP. Minorun Obſerv. eſt quoque hoc Epitaphium

D.O.M.

D. O. M.

PRAESTANTISSIMI ANIMI ATQVE VIRTVTIS IOAN. LASCARI PALAEOLOGO
ALEXII FILIO IOAN. ALEXII PRONEP PRISCI IOAN.
PALAEOLOGI VITERBI ORIVNDI IMPER. CONSTANTINOP AVG
PII FOEL AB NEP. PRINCIPI MILITI FORTISS
SVI GENERIS MAIESTAT PRAESEFEREN. DE ITALIA AVITA PATRIA;
MERITISS. CVIVS FOEL MEM POPVL VITERB MAGISTRAT
ET DECVR SIMVLACRVM EIDEM IN PALATIO POSVERE
ALEXIVS LASCARIS PALAEOL SED APOST EQVITVM
PROMAGISTER PATER MOESTISS POSVIT. VIX. ANN. ....
D. XVI OBIIT VITERBI MDLVIII. D XXVIII AVG

Ergo Viterbi nomen ante Deſiderium extabat, illiuſque Decretum eſt confictum. Quis ad hæc manus non daret? Ipſe tamen vereor, ne prævaricatorem mihi appoſuiſſe videar. Et quoniam ſummo jure mecum agere volunt adverſarii, atque omnia ad vivum reſecare, nego Balneoregium, & Viterbum ante Deſiderium vere uſquam legi. Inſpiciant attentius Gregorium, Anonymum, atque etiam Paullum Diaconum de Geſtis Langobardorum an. 604, & Acta S. Anſani 1. Decem., & Epiſt. Hadriani I. ad Carolum Magnum, Balneum Regis, & Beterbon invenient: O ridiculam reſponſionem, inquiunt, ac jocularem. At ex Grammaticorum optimorum, & veterum more depromtam. Beterbon, & Viterbum, Balneum Regis, & Balneoregium non ne idem ſunt? Minime, idque mordicus nego, ſi de nominibus quæſtio eſt. Immo contra ſic duſputo. Ante Deſiderium Beterbon, & Balneum Regis reperitur: poſtea Balneoregium, & Viterbum ſæpiſſime, ergo ex alicujus auctoritate hæc immutatio facta eſt, quod non evertit Decretum, ſed confirmat. Ante Beterbon dicebatur quidem ex vulgi ſermone, ſed quum ampliorem, tutioremque magnis

murorum ſubſtructionibus Urbem efficeret Deſiderius, Viterbum dici juſſit, ſicut Balneum Regis Balneoregium, atque etiam, ni fallimur, Vicum Horchiæ Vicum Horchianum, & Forum Annii Foranum appellavit. Hæc ſi ex meo ſenſu, ac proprio Marte reſponderem, patienter ferendum eſſet, ſi quis illuderet, ſed ſimillima exempla proferimus, atque etiam præcepta habemus ſummorum litteratorum. Horatius in Arte.

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum ....

& ſequioris ævi Martianus Capella in Rhet: de Elocutione: *Novantur verba aut quadam fictione verborum, aut declinatione præſumpta, aut quæ uſitata ſunt, conjunctione compoſita.* Iam enim noſtræ Civitatis antiqua nomina mutari cœpta erant propter novum Mœnium circuitum. Alii Etruriam, alii Tuſcaniam retnenda cenſebant: Partim ex aliquo ex quatuor oppidi, partim Longobardulam ab Aiſtulfo, quidam Terboin ab illius Amplificatore, quidam Bet-Terbon patrios, & antiquo vocabulo appellandum contendebant: Deſiderius ut litem dirimeret Viterbum ex Bet-Terbo, quod aliquam cum Langobardicis vocibus ſimilitudinem haberet, ut docet Volfangus libro 12 de Migrat. Gent., Ioannes Becanus in Eleg. Proper: Rhenanus l. 3. rerum Germ., Gaudentius Merula de Antiq. Galliæ Ciſalp. l. 3, ſeligendum decrevit, adeoque hoc artifici temperamento delectatus eſt, ut pœna Capitis caverit, ne quis immutaret. Iam vero acta SS. Martyrum Valentini, & Hilarii cum vita Zachariæ (ſi tamen ante De-

ſide-

ſiderium Scripta eſt) nihil moror : quamvis enim veriſſima non modo fatear, ſed etiam profitear cum Cardinali Baronio, Ill: Nardino, & Splend. Pennazio contra Cl. Tillemontis leves ſcrupulos, præſertim cum ab Actis S. Eutychii to: 3. Maii p. 453 ab Heſchenio relatis mirifice confirmentur; tamen primo Beterbon ibi ſcriptum fuiſſe, poſtea, ut fit, à librariis ad uſum, ſtilumque poſteriorum temporum Viterbum accomodatum, dum iterum atque iterum deſcribuntur, nemo inficiabitur. Quid ſi Viterbum jam dici cœptum fuiſſe concedamus, & Deſiderium illud nomen, quod ut dicebamus magis illi arrideret, confirmaſſe dicamus? Verum pro hac ex Anonymo Ravennate deſumpta oppoſitione animi pendeo gratuler ne mihi potius, an Adverſariis gratias agam. Bet-Terbon ante Deſiderium Urbs noſtra appellabatur? O vocem nobis gratiſſimam! Exoſculari cogimur acerrimum noſtrarum Antiquitatum inimicum. Is enim in eam cogitationem me pene hærentem induxit, ut ea experirer, quæ ultro proferre non auſus fortaſſe fuiſſem. בית תרבון BetTerbon ſiquidem Antiqua Etruſcorum Lingua Urbem Torebi ſignificat: Turrhenum enim Torebum dictum fuiſſe notum eſt ex Dionyſio Halic. l. 1.; atque ex Stephano περὶ τῶν πόλεων, ut notat Sylburgius ex Vet: Cod. ad pag. 22., & Hudſonius in notis eodem loci. Noſtrates igitur Bet-Terbon à Torebo vocabant, ſicut à Synonymo Turrheno Turrheniam, & à Tuſco Tuſciam, quæ apud græcos & Latinos in uſu erant. Nunc intelligo, quod Deſiderius in ſuo decreto exaravit, quodque antea ſatis capere non poteram: *Sed cognomine ampliatoris ſui Turrheni*

Ter-

Terbum vocent : ignorabam enim quis eſſet hic Terbus, & quare Turrhenus ita appellaretur, nemo noſtrum animadverterat elegantem illam conjunctionem duorum nominum, originemque ab Hebraica lingua, qua Etruſcorum ſermo coaluit, ut eruditiſſimi viri fatentur. At vero de Palæologis Viterbienſibus multum amo ipſos adverſarios, quamvis Annium inconſtantiæ, ac falſitatis accuſent : ipſe enim hac in re proprio Marte ſe defendit, quum non à voce Veterbi Palæologum, qui Pontificis Conſtantini Comes fuit, ſed à nomine Lucumonis dictum ſcribat: imo Viterbi nomen à Deſiderio impoſitum certo credit, qua in re ſine dubio falſus eſt. Palæologos à Viterbo nuncupatos ſcribunt noſtri Annalium MSS. Auctores, quos Annius profecto vidit, ſed in libris editis ſequutus non eſt. Beterbon autem diu etiam poſt Chriſtum natum ſic fuiſſe dictum nemo miretur : etſi enim apud ſcriptores Turrhenia, Etruria, & Tuſcania reperiatur; tamen ex vulgi ore patrias voces ſermo Latinus omnino excutere non poterat. Sic Chanaam, & Chanani Pœnos ſeſe appellaſſe, atque ipſam Carthaginem in vernaculo ſermone non ſolum ex Plauti punicis verbis in Pœnulo colligunt Variorum notæ, ſed etiam S.Auguſtinus in Comment. Epiſt. ad Romanos apertiſſime teſtatum reliquit, quamvis apud Græcos, aut Latinos hujus appellationis nec vola, nec veſtigium. Noſtra quoque ætate Lunæ Urbem, ne tam longe uſque ad Africæ litora vagemur, Cariariam dictam videmus, ut alibi adnotavimus, & Lunigianam totum illum tractum, quem nunc dicunt *La Carareſe*. Tyri lacus,

cus, ſeu variante dialecto Turæ, quem Martem fuiſſe dictum jam vidimus, atque ab Homero uſurpatum, Θοῦρας ἄρης, *Lago di Marta* in ore popularium quotidie eſt. Sic Arva prope Sabatia, ſeu lacum Sabatinum, Bacchana dicuntur: Sabatius enim, Bacchus dictus eſt, & loca ipſi dicata Sabatia, καὶ σάβους ἔλεγον τοὺς ἀφιερωμένους τόπους αὐτῷ ut ſcholiaſtes Ariſtophanis vetuſtiſſimus in Avibus teſtatur, aliique, quos laudat Reineſius Cl: 1. p. 256. Nihil dicimus de Veteribus Umbris, quos Gallos à גלים dictos ſcimus, & Solinus obſervavit: De Romanis, quos Ramnes, & Ramnenſes ex noſtra lingua appellatos teſtatus eſt Varro: de noſtris Etruſcis, quos Raſenos ſeſe nuncupaſſe memoriæ prodit Halicarnaſſeus Antiq. Rom. libro primo, quæ omnia ab Hebræorum dialecto, & radicibus fluxerunt. Nihil dicimus, de Aquis Taurinis quæ adhuc aquæ Apenentes, ni fallor, dicuntur ab Api, quod primæva lingua Taurum ſignificat, de quibus Capite inſequenti fortaſſe plura. Ad Terbum noſtrum redeamus. Nemo miretur, ſi Turrhenum ſic dictum audit, nam Xanthus Hiſtoricus antiquiſſimus apud Halicarnaſſeum libro primo meminit Atyos, & duorum filiorum, illum Lydum, hunc Torebum vocat: Verrius vero Flaccus non Turrhenum, neque Torebum, ſed Tuſcum appellat: Contra Lycophron Lydum Tarchontem vocat, & fratrem Turrhenum, unde intelligi forſan poteſt à Latinis Tuſcum, à Græcis Turrhenum, à noſtratibus Terbum fuiſſe nuncupatum. Sic patrem alii Atym, alii Herculem, alii Telephum dixerunt. Uſitatiſſimum vero erat apud veteres etiam voces parva inflexione renovare

vare

vare. Quam multi tradunt Romulum condidiſſe Urbem, eique nomen dediſſe? Et tamen apud Plutarchum in Romulo, Servium in Eclogam primam, Verrium Flaccum, & Dionyſium ῥώμην eum locum multo ante fuiſſe vocitatum legimus. Quidam etiam à Roma Itali filia nomen habuiſſe ſcribunt: ſed Virgilium audiamus libro 8.

Tum Rex Evandrus Romanæ conditor Arcis.

perbelle, atque appoſite cadit initium Solini Polyhiſtoris: *Sunt, qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum datum, cum oppidum ibi offendiſſet... Heraclidi placet Troja capta quoſdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma eſt, deveniſſe per Tiberim, deinde ſuadente Rome nobiliſſima Captivarum Romen vocaviſſe: Traditur etiam proprium Romæ nomen, verumtamen vetitum publicari.* cetera. Prius igitur Rome, deinde Roma à Romulo dicta eſt: Sic antea Lavinum à Lavino Latini fratre, à Latino idem opidum Laurentum, à Lavinia uxore Æneę callida junctura Laurolavinium dictum notat Servius non uno in loco.

Sed de Viterbi nomine alia quædam addere cogimur, ut Annii ſimplicitatem, noſtrarumque Antiquitatum gloriam aſſeramus. Is narrat in Commentariis, quæ ad Beroſum elucubravit Cambum Blaſconem, quem Itum poſtea fuiſſe dictum notat, unde Monti Blaſconi, ſeu Arci Iti nomen eſt, trans alpes prope Rodanum ex noſtra Urbe miſiſſe colonias à ſuo nomine, Electra, & Atlante denominatas. Hujus rei antiquiſſimæ in teſtimonium nil aliud potuit afferre, quam Plinii auctoritatem, qui iis in locis libro tertio capite quarto - *Cambo - Electri - Atlanticos* refert, atque ex Ptolemæo comprobationem, qui

qui Blaſconem in ea parte quoque collocat. O ſimplicitatem omnium favore digniſſimam! Quid ſi addere potuiſſet ibi Beterbon, ſeu Viterbum quoque fuiſſe, atque adhuc extare, ut in Sampſonis, Ianſoniſque tabulis, atque in lexicis videmus? Quid ſi in ea parte Κεμμένους Cemmenos Montes apud Ptolemæum in deſcriptione Celtogalliæ, & Strabonem præſertim initio libri quarti obſervaſſet? Equidem ut jam profeſſus ſum, de Annii libris ne verbum quidem facere conſtitueram, ſed veritas ipſa non ſinit: Ipſa oculis noſtris obiecit in Aremoricis Agrum Turſanum, quum forte Jo: Scaligeri in Auſonianas lectiones libri ſecundi Capitis quarti incidiſſem: Ipſa Urbem Aturam cum fluvio cognomine in his locis extitiſſe oſtendit, ut apud Hadr: Valeſium videre eſt in notitia Galli:. Ipſa Caput Voltumnæ in Pictonum finibus apud Pap. Maſſonum in deſcriptione Fluminum Galliæ p. 652 demonſtravit: atque hinc intellexi, quare Auſonius Edyllio XII de Hiſtoriis Lartem Aremoricum Gallorum Ducem Viridomarum appellavit, ſicut Epiſtola quarta Lucumonem Samium Theonem, ni fallor, nuncupavit, quod Samos inſula à noſtris olim fuit habitata.

Quæ modo de Balneo Regis, & Beterbo retulimus inventa, & objecta à quodam, qui primus inter Roma nos Eruditos tenet nos credebamus: quum incidimus in Vincentii Borghinii librum, qui hæc agitat, atque alia plura. Piget me quidem, quum jam me defunctum omni periculo arbitrabar, denuo certamen ingredi: miſeret etiam Lectorum, qui has con-

tentiones diutius ferre non poterunt. Sed quoniam jacta eſt alea, his quoque, quæ reſtant, ut Laconicorum more reſpondeam, patiantur. Primo Borghinio videtur abſonum decreta huiuſmodi in marmore exarari. Sed hoc eſt reſponſione indignum, quum ſimillima non ſolum in lapidibus, verum etiam in æreis tabulis ſcripta apud Gruterum, alioſque videamus. Quod vero addit, nullum priorum Longobardorum Italiæ regis titulum unquam uſurpaſſe, ridiculum eſt, & contra nos non facit, debueratque Borghinius, antequam carperet, pro ſua diligentia videre deſcriptoris ne ea eſſent, an ipſius Deſiderii: De oppidis, quæ ibi referuntur hæc habet, quæ opponat, neque à Plinio, neque ab ullo ſcriptore nominari: quaſi vero Plinius, vel alii omnia retulerint? Ubi habet Plinius, aut Ptolemæus Axium, quod tamen Cicero apud nos eſſe confirmat, & Stephanus de Urbibus? Ubi Tyrenſes, qui tamen ex antiquis Græcis, & Latinis Sanctæ Chriſtinæ faſtis, atque inſcriptionibus ad lacum Vulſinienſem fuiſſe dicuntur? Vbi Succunium, quod in Ciminia parte Italiæ fuiſſe Marcellinus teſtatus eſt, & ni fallor Sotionis fragmenta? Erat in noſtra regione Cort-Noſſa, & Cort-Enebra, ut etiàm monumenta poſt annum milleſimum teſtantur, quæ tamen, ſi primi Livii libri interiiſſent, à nullo alio ſcriptore nominantur. Negat fuiſſe Arinianum, quamvis concedat Rignanum exiſtere. Munio oppidum ubi fuerit ſe ignorare dicit, quum Munio fluvius ad mœnia uſque Florentina decurrens, ut ait Volaterranus libro quinto, ei indicare potuerit, ubi mul-

ta

ta domorum veſtigia ſunt ad S. Marcum. De Phocenſibus litigat, quamvis ex Herodoto, & Servio ad librum decimum ea loca tenuiſſe indubitatum videatur, & *Fococchio* etiam nunc nominentur. Dubitat de S. Miniato, de S. Geminiano, quod oppidum nunc quoque *del Tedeſco* appellatur, aliiſque ſimilibus. Sed ego ad hæc reſpondere nolo: immo ad hæc oppidorum nomina, ut magis eum premam; hæc addo ex geographo Ravennate illius ætatis minime contemnendo p. 223. *Aretiam*, *Græcas*, *Lugariam*, *Umbrion*, *Beternis*, *Equiliam*, *Floriam*, *Florentiam*, *Solariam*, *Eleanam*, *Piſturias*, *Martis*: *Item juxta Florentiam eſt Civitas*, *quæ dicitur* Feſulas, *item Arnum*, *Portum Balbatum*. cetera. Inveniat ipſe ſingula hæc loca, quæ prope Florentiam fuerunt, & nos tunc ea, quæ in marmore ſunt oſtendemus. Verum de Fluentinis quam molta diſputat? Hoc nomen in Deſiderii decreto ipſum urit, fodicat, ac cruciat. Hinc illæ lacrymæ. Vociferatur, Hylam inclamat, omnes lapides movet, ac profert, ut Florentinos ſuos Cives ſemper appellatos pugnaciſſime defendat. At Plinius, & Florus Fluentinos habent: Plinius corruptus eſt, inquit, Florus nihil ad rem. Quid vis igitur, an ut Catonis fragmenta proferam? Sed nos malumus litem perdere, quam hiſce teſtimoniis fidem noſtram committere. Si igitur concedi poſtulat Fluentinos Florentinos non eſſe, concedam: hac lege tamen, ut ipſe hoc det mihi vel Fluentinos fuiſſe gentem alio in loco præfluenti Arno appoſitam, ut ait Plinius, quod crediidiſſe videtur Ortelius in ſua Hetruriæ Chorographia, & Dempſterus l. 5. cap. 17, vel

ipſam Florentiam binominem Fluentiam etiam fuiſſe appellatam, ut modo *Firenze*, & *Fiorenza*, quod concedit Poggius Bracciolinus l. 1. Hiſt., & Jo: Baptiſta Recanatus in notis, confirmatque ex Antiquo Codice, atque ex hoc ipſo Decreto Deſiderii. Quod ſi omnino vult libros errore fœdatos, deceptoſque omnes amanuenſes, ac veteres codices, qui pro Florentinis Fluentinos habent, ut notat Facciolatus, non repugnabimus, dummodo deceptum ab his quoque Deſiderium fateatur. Quod vero addit Borghinius Florentiam ſemper ſtetiſſe, adeoque de ea intelligi non poſſe Fluentinos ſparſos, & palantes, ut ait Deſiderius, non opus eſt, ut à me refellatur, quum Poggius, aliique ex ſuis Civibus contrarium teſtentur. Veniamus nunc ad id, quod de pecuniis opponit cum litteris F. A. V. L. & S. Laurentio: eſſe enim ait rem ab uſu eorum temporum valde abhorrentem. Fateor me in promptu non habere, ut earum typum exhibeam. Contra hoc igitur ratione eſt pugnandum. Quid enim negat? Num pecunias cum Romæ Patrono, & Bononiæ pariter eo tempore excuſas? At non ſolum Hadrianus, ſed etiam Leo paullo ante ſic percuſſit, & apud Cla: Vignolium Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodem conſpiciuntur. Idem de Bononia dicere poſſumus, ut teſtatur Sigonius. Num abhorret à fide, aut abſurdum eſt Deſiderium conceſſiſſe noſtris hoc privilegium? Sed hac de re Borghinius non nobiſcum, ſed cum armato Tyranno diſputare debebat. Pugnabat ille cum Gallis, illiſque nulla in re cedere volebat, quorum Chilpericus etiam nummos percuſſit,

ut

ut ipſe fatetur libro *della Moneta Fiorentina* paullo poſt initium: Sed quoniam ad Gallos ventum eſt, nunc in memoriam redit, ac riſum tenere vix poſſum Florentinum hunc hoc nomine Deſiderii Decretum etiam falſitatis arguere: eo enim tempore, inquit, Gallorum nomen à nemine uſurpabatur. An aliqua pœna Angeronæ lege conſtituta erat nomen illud uſurpanti ſicut de Urbis Romæ arcano nomine, ut ait Solinus, vetito publicari? Quid ſi per inconſiderantiam vox illa excidiſſet? Quid ſi per contemptum, quod ſui hoſtes ex Gallia etiam tum dicebantur, & Franci ex Germania verius erant? Quid vero ſi dicamus ſuos hoſtes Francos vocare noluiſſe, quæ vox liberos ſignificat, quia ſibi ſervos fore jam ſpe præſumebat. Eludis, dicet aliquis, hiſce tricis difficultatem, non reſpondes: At nunc reſponſum dabo, atque adverſarios illudam lepide: Lege-amabo, hæc verba: *Per id tempus Saracenorum exercitus in Gallias introjens multam devaſtationem fecit, contra quos Carolus non longe à Narbone bellum committens eos ſicut & prius maxima cæde proſtravit. Iterato Saraceni Gallorum fines ingreſſi uſque ad Provinciam venerunt, & capta Arelate omnia circumquaque demoliti ſunt*. Parcent ſi Scriptorem non obvium, minime celebrem, cunctis ignotum, atque horum temporum ignarum profero. Forte fortuna ſolus hic in angulo delituit, cum ejus ætatis monumenta ſingula excutiebat Borghinius, atque omnia memoriæ mandabat, ut mirum non ſit ab illo fuiſſe non viſum. Is eſt Paullus Varnefridi cognomento Diaconus Deſiderii ejuſdem familiaris l. 6. c. 54.

Obiicit

Obiicit præterea Nomen Balneiregis, & Viterbi de quibus abunde diſſerui. Infantes, & Latinæ linguæ ignaros appellat, qui Civitatem Etruriam fuiſſe aſſerunt: Verum ego non modo eſſe Civitatis nomen, ſed & originem, & Conditorem ex Aturia demonſtravi. Si cui vero inauditum eſt Roda, & Civica, ſicut etiam Orbitum, quam Urbem Urbiventum, & Urbem Veterem, nunc *Orvieto* appellatam invenimus; ſciat pro unoquoque teſtimonia inveniri, & extitiſſe antiquum Lapidem apud Clementem Tanum Balneoregii Iuriſperitum, ut teſtatur Alexander Donzellinus libro primo. par. 2. pag. 21., ubi Ceruus conſpicitur, & ex altera parte Arx cum litteris ſuperpoſitis: *Rhoda Civica*, Draco ſubeſt. De Orbito multa dici poſſent, ſed illud unum ſatis ſit: in Concilio Romano ſub Benedicto IX Leo Orbitenſis Epiſcopus ſubſcribit, ut apud Ughellium adnotatum videmus: ex quo intelligimus veterum nominum miras metamorphoſes, quæ tamen venerandæ Antiquitatis ſæpe prima veluti lineamenta retineant. Reſtat igitur nunc, ut de Petra Sancta, in qua ſimiliter, atque in Balneoregii nomine exultat, pauca reſpondeam. Hoc oppidum, quod antea Fanum Feroniæ dictum ex Plinio, & Ptolemæo Cluverius quoque teſtatur, id nominis habuiſſe à Viro Mediolanenſi ex auctoritate Raphaelis Volaterrani idem Florentinus Ariſtarchus affirmat: Sed Raphaelem audiamus in ſua Hetruria - *Sarzana cum oppido vicino Petraſanta à Florentinis adempta Lucenſibus tenebatur: per adventum vero Caroli Regis Anno* 1491 *ad antiquos Dominos ambo redierunt:*

Patra

Petra Sancta enim Lucenſium eſt Ædificium, quo tempore de finibus illi cum Genuenſibus litigabant, appellaruntque ex cognomine Viri Mediolanenſis, qui ab imperatore Arbiter eo miſſus locum illum Lucenſibus adjudicavit. Hæc Volaterranus, atque hæc ex ipſo Borghinius. Actum eſt de Deſiderii decreto: quomodo enim defendi poteſt, niſi vaticinatum fuiſſe dicamus? O noſtros fruſtra ſuſceptos labores! Hoc unico argumento conturbatæ ſunt mihi rationes omnes.

.... *Ipſa ſi cupiat Salus*
Servare prorſus non poteſt hanc Epigraphen.

Næ ego imprudens fui, qui toties monitus ab Annianis inſcriptionibus ſequendis non temperarim: Noſtra Urbs, ut ait Maro, Saxo fundata vetuſto, illius fracti lapidis ad ſuæ Antiquitatis ſuſtentandum faſtigium fundamento non indiget: inconcuſſo nititur argumentorum pondere, atque concordia. Atque eo quidem ego ſemper animo fui, ut melius conſultum noſtræ Civitati crediderim, ſi Deſiderius nunquam ad nos acceſſiſſet, vel nihil renovaſſet. Verum quando accuſando fieri infectum non poteſt, ut ait Terentius, concedam Deſiderii Decretum eſſe confictum. Abeant in malam Crucem noſtræ hiſtoriæ; valeant Viterbienſium monumenta. Nunc enim vero gratias maximas habeo M. Varroni, M. Tullio, T. Livio, Se. Pompejo, Dionyſio Halicarnaſſio, Se. Propertio, Virgilio Maroni, Valerio Maximo, Plinio utrique, Scymno Chio, Iulio Capitolino, Servio Honorato, Maximiano Tuſco, Euſtatio Scholiaſtæ, ceteriſque, quorum auctoritate, & teſti-

monio

monio omnia, quæ in lapide conficta ſunt, & multo etiam plura ad veritatem probantur. Sed illuxit neſcio quid, quod jam me pene jacentem excitat, inducitque in ſententiam, cogitationemque meliorem. Deſiderius non divinus fuit, ſed plus quam Vates, nam ſuis oculis ipſe met vidit ea, quæ tanto poſt tempore ab hoc Florentino facta eſſe narrantur. Petra Sancta, qui illius oppidi nomen mutavit, fuit Dux celeberrimus, & Deſiderio æqualis, ut ex Petro Creſcentio de Nobilitate Ital. to. 2. p. 418, & Paullo Morigia in ſuæ patriæ Hiſtoria l. 4. cap. 21, ac de Mediolan. Nobilit. pariter libro quarto cognoſci poteſt, cujus Epitaphium graphice deſcriptum Franciſcus Ficoronus refert in obſervat. contra Monfaucon pagina Nona. Multo igitur ante Carolum octavum Fanum Feroniæ id nomen habuerat, quod mirum eſt ignoraſſe Borghinium, quum ut reliquos prætercam Joannes Villanus Florentinæ linguæ deliciæ ducentis annis ante non ſemel commemoret in hiſtoriis. Profecto veritate nihil robuſtius: Marmor hoc tantis ictibus, ac concuſſibus magis magiſque confirmatum eſt, tantumque ponderis habet, ac ſoliditatis; μένους

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſſia cautes. Nunc Monachus quidam, ut audio, hanc pugnam inſtaurat: Radicofani, ait, in Decreto Deſiderii mentio fit: At hoc Opidum à Friderico primo fuit ædificatum: ut teſtatur Abbas Verſpergenſis: *Fridericus anno 1168 in Monte Radicofano eminentiſſimum Caſtrum ipſe primus conſtruxit.* Macte virtute quiſquis es, qui poſt tot bellatores nunc demum expergiſceris: Nos Caſtrum ædificatum, non

Ra-

Rodacoſanum dicimus. Reſponſio non ne eſt brevis, & præciſa? Ne tamen te ad verborum anguſtias revocatum queraris: Dicimus ab Abbate Montis Amiati pro dimidia parte Eugenio tertio Pontif. Max. Anno 1153 fuiſſe conceſſum, ut Antiqua Monaſterii Monumenta teſtantur: Immo ex eorundem archivis, ut refert Vghellius in Epiſcopis Cluſinis, clariſſime ante Ludovicum Pium extitiſſe demonſtramus.

C A P. XXVIII.

De Sentinatibus in Hetruria Conjectura: de Aquis Taurinis: Ubi Decius ſeſe devoverit. Sanctus Flavianus ad viam Caſſiam occubuit: Numatiani, & S. Gregorii teſtimonia expenduntur.

QVum tot, ac tanta contra Deſiderii Decretum obiecerint Adverſarii, mirari ſubit nihil de Sentinatibus auſos: In eo enim Auſdonias, & Rodacoſanum Sentinatium eſſe dicuntur, quorum alterum oppidum prope Coſas nunc quoque in litore dirutum nomen retinet: alterum in via, qua Florentia Romam itur notiſſimum eſt. At Sentinates populos nemo præter Annianos in Hetruria ponit; ſed omnes uno ore trans Apenninos in Vmbria. Nos itaque etſi à nullo la-

 ceſſiti

ceſſiti hoc quoque experiri decrevimus, quamvis verſemur in cauſſa impeditiſſima, ac vix è difficultatibus nos emerſuros ſperemus. Satis eſt nobis Deſiderii Decretum ab adverſariorum invidia vindicaſſe, omneſque illorum conatus, quibus confictum eſſe ſuadere volebant, fregiſſe ad unum. Contra vero nobis honori, ac laudi dicimus veritatem proferre, atque omni ope tueri, cujus auxilio noſtras antiquitates, atque hiſtorias defenſas unice volumus, ut ſi utrumque præſtare non poſſimus, malimus cauſſa cadere, quam illam deſerere, vel diſſimulare. T. Livius P. Decii devotionem celeberrimam, qui Patris exemplum ſequi voluit, poſt quam Romani, & noſtri ex Etruria Apenninum tranſgreſſi fuerunt in Sentinati agro accidiſſe ſcribit l. x.c. 19. Nos Sentinates in Hetruria fuiſſe defendimus haud abſimili contentione ab ea, qua Camertes, atque Vmbros apud nos extitiſſe demonſtravimus. Luſtranda igitur de more Livii loca ſunt, atque altius tota narratio repetenda. Quum P. Decius ille mortem oppetiit, bellum cum Etruſcis in Etruria fuiſſe certum eſt: Ex Samnio enim Samnites quum diſceſſiſſent, in concilio ad Fanum Volturnæ ſupplicarunt, ut noſtros in Societatem belli cum Gallis traherent, quod narrat Livius l. x. cap. x1. Hinc non ſolum gallica auxilia, ſed etiam proximos noſtræ Vmbriæ populos traxit belli contagio, tantuſque exercitus comparatus eſt, ut quum unus locus tantam multitudinem capere non poſſet, contra Ro: exercitum caſtra bifariam fieri oportuerit. L. Volumnius Conſul Romam profectus & multa de magnitudine belli Etru-
ſci

ſci diſſeruit, & conſules eligendos, ut ambo contra nos ſtatim mitterentur, ſuaſit: Q. Fabium Maximum omnes prærogativæ conſulem dixerunt, qui quum Collegam P. Decium obtinuiſſet, & poſtea quædam contentio orta eſſet, ne ambo in Etruriam mitterentur, Fabius quam Arborem ſeruiſſet, ſub ea legere alium fructum indignum dixit, cumque ſua induſtria, ac virtute ſilvam Ciminiam, viamque per devios ſaltus feciſſet, nihil eſſe quod ſe id ætatis ſollicitarent, ſi alio duce bellum erant geſturi; tantumque valuit gratia, atque auctoritate, ut Etruria illi decreta fuerit. Narrat deinde Livius apto exercitu ad Arbeam (ut ſupra legendum conjectura freti monuimus) profectum: verum quum negaret uno loco exercitum ſedere utile eſſe, & noſtri huc, atque illuc cum fœderatis volitarent, poſt modica itinera ad Cluſium, quod Camers olim appellabatur relicta ſecunda legione, præpoſitoque pro Conſule L. Scipione, Romam ipſe ad conſultandam de bello rediit: Non ſuffecturum Ducem unum, neque unum exercitum adverſus quatuor populos in Senatu expoſuit, & P. Decium ſecum ducendi in Tuſcos facultatem obtinuit. Ceterum antequam *Conſules in Etruriam pervenirent*, ut ait Livius capite decimo octavo Senones Galli, ſeu Vmbri, ut alii tradunt, multitudine ingenti ad Cluſium collecti legionem Ro: circumventam deleverunt, neque ad Conſules fama ejus cladis ante perlata eſt, quam hoſtium equites in conſpectu fuere pectoribus equorum ſuſpenſa geſtantes capita. Tum duo exercitus Etruriæ oppoſitos, quorum alter in Faliſco, alter in Vaticano erat, Gn:

Fulvius; & L. Poſthumius proprætores habere juſſi. *Conſules vero* (ſunt ipſa Livii verba) *in Agrum Sentinatem ad hoſtes Apennino tranſgreſſos pervenerunt*: ibi quatuor millium ferme intervallo caſtra poſita: inter hoſtes deinde conſultationes habitæ, atque ita convenit, ut ne unis caſtris miſcerentur omnes, neve in aciem deſcenderent ſimul. Fulvio ut ex Faliſco, Poſthumio ut ex Vaticano exercitum ad Cluſium admoveant Conſules ſcribunt, ſummaque vi hoſtium fines depopulentur: Quis hic non videat ſi bellum Etruſcum gerebatur, ſi in Faliſcis exercitus juſſus ad omnem hoſtium motum, ſi ad Cluſium poſtea admotus; de Etruſcis noſtris, & de finitimis Vmbris agi, non de iis, qui ſunt trans Tiberim, ut alibi etiam in re ſimillima adnotavimus? Galli fuerunt mercede conducti, qui jam apud nos erant, & agri partem poſcebant: Samnites quoque ad nos venerant, ut noſtris conciliis intereſſent: minime itaque ad Sentinates, qui tras Apenninum ſunt, ubi Fabrianum, & amnis Sentinus, ut teſtatur Blondus, & Volaterranus, in quorum campis pugnatum fuiſſe à Fabio, & Decio vulgus opinatur, hæc narratio pertinet, ſed ad Sentinates noſtros, qui Sentinum opidum ad Paliam habuerunt, ut teſtatur Leander Albertus, à cujus nomine nunc quoque Pons Sentinus vulgo Centinus appellatur: Hæc ex Polybii libro ſecundo poſſent illuſtrari, qui Etruſcos cum Gallis, & Samnitibus ἐν τῇ Καμερτίων χώρα καὶ ἐν τυῤῥηνίᾳ. i. *in Camertium regione* (quos ipſi latini interpretes Cluſinos vertunt) *&* *in Tyrrhenia* ſocietatem belli iniiſſe ſcribit, & tandem

in

in Sentinati Agro contra Romanos pugnaſſe: Hic auctor de Alpium tranſitu nihil dicit; nihil de difficillimo, ac longiſſimo plurium dierum itinere, quod per tot Urbes, ac populos ad Fabrianenſes uſque confici debuiſſet. Idem ex Lucio Floro, qui libro primo Cap. 17 bellum Etruſcum, & poſt Cimini tranſitum in ſinu vallis Decium devotum Diis Manibus refert, poſſumus intelligere. Nulli igitur dubium eſſe poteſt, quin hi Sentinates in noſtra Hetruria fuerint prope agrum Cluſinum, quo ſe contulerunt cum auxiliariis copiis, ut opinor, quia Cluſinæ anguſtiæ tantum bellum, ac tot exercitus capere non poterant. Hujus noſtræ ſententiæ clariſſimum argumentum habemus ex ipſo Livio: is enim narrat Etruſcos noſtros audito juſſu Conſulum ex Faliſco Fulvium, & ex Vaticano Poſthumium profectos ſuos fines depopulari, ex Agro Sentinati accurriſſe ad opem rebus propriis ferendam: *Hujus populationis fama*, inquit Livius eadem loco, *Etruſcos ex Agro Sentinati ad ſuos fines tuendos movit*. Quo nam enim modo ex Fabriani Regionibus noſtri præſto eſſe poterant? Antequam rumor ad eos veniſſet jam proprætores ambo omnia vaſtaſſent, cuncta abduxiſſent, atque urbes ipſas ſolo æquaſſent. Scimus Gn: Fulvium in Hetruria res ex ſententia geſſiſſe, ut narrat Livius paullo poſt, & præter illatam agris populationem Peruſinorum, & Cluſinorum amplius tria millia cecidiſſe; ſed ſcimus etiam ex ipſo Livio Q. Fabium Deciano exercitu in Etruria relicto ſuis legionibus deductis ad Vrbem de Gallis, Etruſcis, & Samnitibus triumphaſſe. Non enim reliquiſſet in

in Tuſcis Decii exercitum ſi trans Apenninum ad ſeptempedanos ſeſe ille devoviſſet. At T. Livius Capite IIXX *Conſules*, ſcribit, *ad hoſtes tranſgreſſos Apennino in Agrum Sentinatem pervenerunt : ibi quatuor millium ferme intervallo caſtra poſita .... Samnitibus Galli, Etruſcis Vmbri adiecti : dies indicta pugnæ*. Hanc quæſtionem, atque hunc difficillimum nodum de Apennini tranſitu Annius non attigit;is tamen facillime ſolviſſet, nam Apenninum idem, atque Apenentem veteri prolatione eſſe dixit, & aquas Apenninas, aque Apenentes eſſe Synonyma : Apis enim Antiquiſſima non ſolum Etruſcorum, ſed etiam Ægyptiorum lingua Taurum Significat, ut eſt notiſſimum, adeo ut apes βουγενεῖς etiam à Græcis dicantur, ideſt à *Tauro genitæ*, non ab A, & ποῦς, ideſt *ſine pedibus*, ut Græculus quidam Adoleſcens in celebri doctorum virorum concione inepte contendebat. Verum ni fallimur vero videtur proprius aliquem montem inter Rodacoſanum, & Aquapenentes Apenninum à Livio appellatum : ibi enim continuatio quædam aſperrimorum jugorum eſt uſque ad Apenninum, quam notat, & deſcribit Franciſcus Jannottus par. 2. p. 50 in autographis. Æqui bonique conſulat lector ſi has conjecturas proferimus in re obſcura, atque à nomine, quem vidimus, tractata. Liberum eſt unicuique opinari. Illud pro certo aſſerere non dubito Aquas Taurinas non in Maris inferi litore inter Centumcellas, & Graviſcas, ut putat Cluverius exiſtere, ſed prope hunc agrum Sentinatem : Aquenſes enim Taurinos, ſeu ut alii legunt Aquulenſes, in mediterraneis Plinius ponit, quod etiam

in Ptolemæo videmus, qui Aquulam cum Arretio, Cortona, & Cluſio ἐν μεσογαίᾳ enumerat. Præterea S. Flavianus, qui ad Aquas Taurinas XI Kal: Januarias in Martyrologio Ro: occubuiſſe dicitur, & prope Montem Flaſconem ſepultus eſt, ut refert etiam S. Leo IV in Epiſtola ad Virumbonum Epiſcopum noſtrum, atque illius Hiſtoria MSS., quam à noſtri amantiſs: Can. Bartholomæo Duranti olim in celebri Seminario Montis Flaſconis Philoſophiæ Magiſtro nunc Theologo Viterbienſi accepimus, & quam Annius ætate ſua vidit; & laudavit, quamvis multum nunc interpolata ſit; Sanctus Flavianus, inquam, per viam Clodiam, quæ pro Caſſia viciſſim uſurpatur in Antonino apud Suritam, & alios, in exiliam miſſus dicitut. Rutilius Numatianus, qui Cluverium, & Baronium viros eruditiſſimos in errorem induxit, ſi bene perpendatur à nobis facit: is enim in maris litore dictas Tauri de nomine Thermas deſcribit. At quis non videat has non fuiſſe Aquas Taurinas, hæ enim Urbis erant nomen, ut ex Plinio, & Ptolemæo cognoſcimus; illas Rutilius Thermas ſolum appellat nulla oppidi facta mentione: immo addit ſolum tribus millibus paſſuum à Centumcellis abfuiſſe, ubi certe Urbs nulla eſſe potuit. Hæ præterea Taurinæ dicebantur; illæ Taurianæ, quod ex ipſo Rutilio intelligimus: non enim periphraſi uſus fuiſſe *Tauri dictas à nomine Thermas*, ſi Taurinæ dictæ fuiſſet: nam illo loquendi modo utimur tum, cum elegiacus verſus pedem aliquem, ſicut eſt ille epitritus *Taurianas* non capit. S. Gregorius quoque in diæceſi Centumcellenſi

Ther-

Thermarum mentionem faciens libro quarto Dialogorum cap. 55, Taurianas non Taurinas appellavit. Si quis tamen ſcitetur quas nam opinemur eſſe Aquas, apud quas S. Flavianus occubuit, non dubitamus in re abdita, atque ambigua noſtram quoque proferre opinionem. Has igitur Aquas Apenentes eſſe putamus, quas prius prope locum *le Grotte* dictum, extitiſſe credimus, & ipſum Lacum Turæ, ſeu Tyrenſem inde appellatum, ſicut Tarquinienſem à Tarquiniis multo longinquioribus, quia ex ea parte Apenentium, ſeu Taurinorum agro terminabatur. Quæ me in hanc opinionem inducunt paucis expediam: Primo admirabilis Synonymia Martæ, Italiæ, Turæ, ſeu Itali, ideſt Tauri, quæ ſimul Athuri, ut jam demonſtravimus capite vigeſimo ſexto, ſimul huic lacui tribuunrur ſecundum Agros diverſos, qui cum hoc lacu conjungebantur, quique in poteſtate Itali, ſeu Turæ cognomento Martis fuerunt: Secundo vero, quod S. Flavianum apud Aquas Taurinas ad ſexageſimum lapidem in Via Clodia, ſeu melius Caſſia prope montem Flaſconem ſepultum videam, & in Epiſtola Leonis IV ad Virumbonum noſtrum Epiſcopum nongentis ab hinc annis hoc ſcriptum reperiam. Scio Turenſes vulgo non eoſdem, ac Taurinos putari, ſed Vulſinienſes, quum Sacra S. Chriſtinæ Lipſana Vulſiniis colantur, ſed hoc nimis infirmum eſt, præſertim quum certum videatur Sanctæ illius Heroidos in noſtra Inſula Martæ agonem fuiſſe inceptum, ibique conſpiciatur turris illa, quæ in illius hiſtoria deſcribitur, ut teſtatur Splen: Pennazius, qui illius vitam ſumma diligentia, ac labore nuper in lucem

lucem edidit, ubi poſtea Amalaſuntha periit. Omnino ego Tyrenſes nullo modo Vulſinienſes eſſe concedo, quia ſaltem in tot Menæis, atque hiſtoriis græcis, & latinis mentio Vulſinienſis Vrbis tam nobilis, atque antiquæ facta fuiſſet: quare enim S. Chriſtinam Vulſinienſem nunquam appellant? Adde quod nulla controverſia eſſe poterat inter Vetulones noſtros, & Tyrenſes de lacus poſſeſſione, ſi Vulſinienſes Tyrenſes fuiſſent: At Deſiderii tempore, atque Aiſtulfi lis ea orta eſt, quod Vulſinium pene deſertum, ac deletum, ut nunc fere videmus, nullos opinor habitatores haberet, nulloſque, qui ſua antiqua jura defenderent. Epiſcopi Vulſinienſes certe ante annum ſeptingenteſimum deſiere audiri, quod interitus, ut multarum finitimarum Vrbium, certiſſimum argumentum eſt.

CAP. XXIX.

De noſtrę Civitatis Politia, XII Etrurię Coloniis: An Reges habuerit.

NOſtrates ab initio ὑφ' ἑνὸς ταττόμενοι ἡγεμόνος, ut ait Strabo l. 5. hoc eſt ſub unius imperio extitiſſe videntur, ſive ipſi Athur hoc acceptum referre velimus. ſive Jano, quem Oenotrum dictum fuiſſe putamus

ab οἶνος, quamvis de more irrideat Cluverius, nam huic etymo Jani nomen ab יין, quod pariter vinum ſignificat mirifice conſonat. Hinc Oenotri, ideſt Janigenæ in Italia toties commemorati. Atque eo tempore quidem quaſdam deductas fuiſſe colonias memoriæ proditum eſt, incerto tamen auctore: Aliquanto vero poſt Lydorum adventum διαλυθῆναι τὸ σύστημα, ut ait idem Strabo, atque aliam habuiſſe reipublicæ formam indubitatum videtur, nam tunc vulgo tradunt XII conditas fuiſſe Urbes: Τυῤῥηνὸς τὴν χώραν, ut idem ait libro V ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισε. *Tyrrhenus regionem ſuam Turrheniam vocavit, & XII Urbes condidit*. Hunc Torebum, ſive Terbum cognomento fuiſſe dictum ait Deſiderius, quod ut ingenue fateamur non bene intelligimus: Veriſimilius enim videretur Turrhenum fuiſſe cognomen, eo quod Turrhenia ei ſorte obtigerit, ubi conſanguineos invenit, ut ex Silio cognoſcimus l.4 v.721

Lydorum populos, ſedemque ab origine priſci
Sacratam Coriti, junctoſque à ſanguine Avorum
Mœonios Italis permiſta ſtirpe Colonos.

Ethuræ enim nomen ab Athur, unde Etruria, Turia, Tuſcia, & Turrhenia, ut oſtendimus, antiquius Lydorum adventu eſt, & à Sanguine avorum derivatum. Fateor tamen Torebum à תרב potuiſſe dici, ab eaque voce cognomentum ſumpſiſſe, quæ nominis Turbæ radix eſt, & multitudinem ſignificat, ut notat Leuſden in lexico Hebraico. MULTITUDINIS enim mentionem faciunt Tacitus, & Vellejus cum veniſſe Turrhenum

num ſcribunt, quibus conſonat Strabo l.5, qui μετὰ πλείονος λαοῦ dimiſſum refert. Atque hic ſine dubio quæret aliquis, quænam fuerint illæ XII Coloniæ tam celebres toties ab antiquis ſcriptoribus commemoratæ, ſed quas nominatim enumerat nemo: Qui de rebus Etruſcis noſtra ætate, vel patrum memoria ſcripſerunt, magis magiſque hanc curioſitatem acuunt, quum non ſolum ſecum non conveniant, ſed præterea nihil certi afferant. Longum eſſet omnium opiniones recenſere: Conſulant Lectores Flavium Blondum in ſua Hetruria; Sigonium libro primo de Antiq. Jure Ital. c.9; Vincentium Borghinium in libro *della Toſcana*; Alexandrum dierum Genialium, Fontaninum de Antiq. Hort. Nos Cluverii libro ſecundo Italiæ Antiquæ, Noriſii in Cenotaphiis Piſanis, & Holſtenii in Stephanum verbo περρέσιον ſententiam præferimus, quæ veluti Triumvirali auctoritate commendata eſt,

Vejos	*Cluſium*	*Arretium*	*Ruſellas*
Falerios	*Peruſiam*	*Volaterras*	*Tarquinios*
Vulſinios	*Cortonam*	*Vetulonios*	*Cære*.

ut libere tamen dicam, quod ſentio, neque hi, neque alii mihi ſatisfaciunt omnino: atque ut hujus meæ moroſitatis breviter exponam rationes; hoc tamquam certum credo in inferi maris litore nullam præter Populonium ex Hetruſcis Urbibus fuiſſe: quod teſtatur non ſolum Plinius, ſed etiam diligentiſſimus Strabo, ut jam Capite XVII adnotavi. Ex quo illud conficitur Cære ex hoc numero eſſe tollendum: Non tamen reponendum Populonium: quidam enim hanc Urbem poſt duode-

cim Colonias jam conditas ædificatam fuiſſe prodiderunt, ut refert Servius in librum X Æneidos verſu 172, alii à Corſis, alii à Volaterranis: quod dubium certe eſſe non poterat, ſi inter XII Celeberrimas extitiſſet. Scimus à Livio enumeratam inter Urbes, quæ Scipioni auxilium præbuerunt contra Pœnos, cum Tarquinienſibus, Volaterranis, Arretinis, Peruſinis, Cluſinis, Ruſellanis, & Cæritibus, qui ut jam dicebamus Capite XII à Turrheno deducti non fuerunt, ſed à Theſſalis. Quod ſi à Livio l.7 c.13 Cærites Tarquinienſium conſanguinei dicuntur, id verum eſt pro tempore, quo jam noſtris armis illam Urbem occupavimus, noſtriſque Colonis complevimus. Sic Pyrgos expungimus, quamvis Servius in librum X Æneidos Metropolim ibi Tuſcorum fuiſſe dicat, nam hoc accidit, quum piraticam exercebant, atque iniquum imperium agitabant, ut ut Juſtinus libro quadrageſimo tertio ea tempeſtate apud multos populos gloriæ habitum ſcribat. Ad tollendum ex eodem albo etiam Cluſium inclinat animus. Scimus T. Livium referre hoc nomine petiiſſe ab Romanis opem contra Gallos, quod Vejentes conſanguineos adverſus Populum Ro: non defendiſſent. Ego tamen miror nullam feciſſe mentionem de amicitia, & muneribus Porſennæ, qui quamvis ut hoſtis ad Urbem acceſſerit, & ne ferro poſt fœdus, niſi in Agricultura, Romani uterentur imperaverit, ut tradit Plinius l.34. c.14, tamen magis beneficiis, quam armis pugnavit, & gratiſſimus univerſo Populo diſceſſit ἀπῆλθε φίλος, ut Strabo teſtatur l.5. Hæc Cluſini in Senatu commemorare de-

debebant, non ſolum conſanguineos deſertos : niſi ſi dicendum ſit hoc illos non revocaſſe in memoriam, quia Porſena dux Etruſcorum dumtaxat fuit, & de noſtro pugnavit, ut innuere videtur Silius Italicus l.10 v.486

Ille Ope Mæonia, & populo ſuccinctus Etruſco
Certabat pulſos per bella reducere Reges.

Sed ut ad conſanguinitatis nomen redeamus, illud non tantum pondus habet, ut in XII Coloniarum numerum Cluſinos accenſere cogamur : Nam Fidenates, & Capenates etiam Vejentium erant conſanguinei, Populonienſes fortaſſe Volaterranorum, Mantuani Tuſco de Sanguine, & tamen in eo numero non cenſentur : Cluſium profecto, quod Camers olim appellabatur teste eodem Livio, Q. Fabio contra Etruſcos arma ferenti commeatum, atque auxilium promiſit, ut iam obſervavimus Capite Sexto. Quis igitur credat ex Etruriæ XII Urbibus extitiſſe? Quod ſi Porſena ex Cluſio, Mezentius ex Caere Reges, ſeu Lartes Etruriæ fuerunt, nihil eſt, nam noſtri, ut videbimus, ſæpe exteros advocabant. At de Crotone, ſeu Cortona dubius hæret animus, nam quum Lydi Italiam petierunt jam ea florebat, & præterea non modo Dionyſius à noſtris diſtinguit, verum etiam ſcribit illius incolas uſos fuiſſe dialecto diverſiſſima, atque Helleſpontiaca. Fateor tamen à Livio l.9 Cap.25 inter Etruriæ Capita cum Peruſia, atque Arretio recenſeri. Accedit Virgilius, qui præcipue hac in re nobis pro duce eſt ob miram noſtrarum rerum cognitionem. Is dum totam Hetruriam deſcribit contra Mezentium concitatam, ac prope furen-

tem

tem neque Vejos, neque Arretium, neque Tarquinios, neque Vulſinios, neque Volaterras, neque ullam aliam Urbem, quæ certo in XII numero fuerit, recenſet. Quid ita? Quia quum Etruriam Æneæ opem præbuiſſe dicit, XII Civitatum auxilium, ac conſenſum ſtatim intelligimus. Si igitur alias Urbes nominatim refert, eas non fuiſſe in numero XII Coloniarum manifeſte colligimus: Verum Cortonam non deſcribit: recenſet vero Cluſinos concitatos, & quod maxime obſervandum eſt, habuiſſe proprium Regem Oſinium addit, deinde Coſanos, & Populonienſes, demum Piſas, Pyrgos, & Graviſcas. Sed ad Faliſcos veniamus. Hos enimvero accenſendos eſſe nullo pacto opinor cum Borghinio in ſua Hetruria pag.330: nam Livius luce clarius non fuiſſe ex Etruſcorum Urbibus indicat l.10 c.31 in fine: *Segnius tamen quod ad Etruriam attinebat acta res eſſet, ni Faliſcos quoque, qui permultos annos in amicitia fuerant, allatum foret arma Etruſcis junxiſſe*. Sed eruditiſſimum, & nunquam ſatis fortaſſe neque commendatum, neque perceptum Virgilium conſulamus: Is Faliſcos non cum Etruſcis, quamvis una ſolum Silva Ciminia dividerentur; ſed cum Rutulis, & Mezentio contra noſtros pugnaſſe dicit duce Meſſapo, deſcribitque graphice totam Faliſcam regionem uſque ad Soracte à Lacu, & à Ciminiorum jugorum parte, quæ in illorum fines ſe extendebat: quare viderit Dempſterus, an nulla mota fuerint ab Etruſcis arma in Romanos niſi Sociis Faliſcis, & an græculi, & balbutientes ſint, qui illos fuiſſe Etruſcos negant, ut ipſe contendit l.4 c.12

Præ-

Prætereamus Strabonem, qui libro quinto notat exiſtimatos fuiſſe ἴδιον ἔθνος, καὶ ἰδιόγλωσσον: Prætereamus Stephanum Bizant., Ovidium Naſonem, alioſque, qui colonos Argivorum illos aſſerunt, & audiamus Gratium in libro de Venatione

.....Bonus Æolia de Valle Sibyllæ
Fœtus, & aprico Tuſcorum Stuppea Campo
Meſſis contiguum ſorbens de flumine rorem:
At contra noſtris imbellia lina Faliſcis.

vides ut Poeta Faleriis natus Tuſcos à ſuis Civibus diſtinguit? Neque opponas Livium, qui eos inter Hetruſcos cum Capenatibus adnumerat libro V; nam ſi quid hæc valerent etiam Capenates in XII numero habendi eſſent: libro eodem Capite undecimo, *Concilia Etruriæ*, ſcribit, *ad Fanum Volturnæ habita poſtulantibus Capenatibus, & Faliſcis, ut Vejos communi animo, conſiliiſque omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent*: At reſponſum habuerunt, ex quo ſolum Vejentes ad Etruſcos noſtros pertinuiſſe intelligimus: *Antea ſe id Vejentibus negaſſe, quia unde conſilium non petiiſſent ſuper tanta re, auxilium petere non deberent*. Et libro quarto Cap.XII. *Trepidatum in Etruria poſt Fidenas captas non Vejentibus ſolum territis metu ſimilis excidii, ſed etiam Faliſcis. Igitur quum duæ Civitates legatis circa XII populos miſſis impetraſſent, ut ad Fanum Volturnæ indiceretur omni Etruriæ Concilium.... negata Vejentibus auxilia*. Quare ait negata Vejentibus, & non etiam Faliſcis, ſi utrique petierunt, ſi utrique periculo proximi? Scimus quoſdam diſtinguere

Fa-

Falerium, & Faliſcum, & alterum Æquorum, alterum Etruſcorum opinari. Nos apud Plinium libro tertio Cap. V *Colonia Faliſca, quæ cognominatur Hetruſcorum*, quæ cognominatur Æquorum potius legendum cenſemus. Hoc Epitheton cum Virgilius, & Silius, tum Strabo Faliſcis attribuit. Quare putamus veriſimilius Vulcientes ex XII Urbibus fuiſſe, quum eos triumphatos legamus in tabulis Capitolinis, & à Vulſinienſibus diſtinguantur: ex quo intelligimus neque iis, neque aliis fuiſſe ſubjectos: præſertim quum Coſſam etiam Coloniam deduxerint, ut libro tertio capite quinto Plinius teſtatur. Duæ, vel tres Civitates ex duodecim deſunt, quarum fortaſſe neque nomina ſuperſunt ob nimiam antiquitatem, ut pleriſque ex mille centum nonaginta ſeptem Urbibus, quas Ælianus libro nono Cap. 16 priſcis temporibus in Italia fuiſſe refert, accidiſſe videmus. Nos itaque ignorationem fateri malumus, quam quicquam inconſulte, atque inconſiderate aſſerere. Hæc enim eatenus ſolum attigimus, ut ne noſtram diligentiam, atque opinionem neque hac in re quiſquam deſideret. Ceterum ſi XII colonias illas quis cum Cluverio, Noriſio, atque Holſtenio aſſerere pergit, nos manus dabimus, ſed ſtatim hoc enthymema torquebimus: Omnis Etruria furiis exarſit contra Mezenzium, ut teſtatur eruditiſſimus Virgilius: *Ergo omnis furiis exarſit Etruria juſtis* libro octavo Æneidos: at Cluſinos cum proprio Rege ſeorſim enumerat, eodemque modo Populonium, Coſas, Piſas, Pyrgos, & Graviſcas: præterea Falerium, Feſcennium, Flavinum, atque his finitimas gen-
tes

tes contra ipſam Æneam armatas inducit : Ergo omnis Etruria pro toto tractu à Tiberi ad Macram intelligi minime poteſt, ſed pro noſtra Civitate accipienda, atque intelligenda ſolum eſt. Etruſcos quam late imperium terra, marique protulerint jam Capite IV attigimus, reſtat ut de Metropoli diligentius inquiramus.

Cortona à Stephano Metropolis refertur, & tertia Italiæ, primaque omnium à Tyrrhenis capta : Verum Livius, qui eam Hetruriæ caput dicit, hanc ejus laudem in dubium revocat, nam eodem loco Peruſiam; & Arretium eodem modo appellat libro nono Capite vigeſimo quinto : & libro decimo Hetruriæ Capita Peruſiam, & Arretium vocat quidem, verum addit etiam Volſinios, quos eadem prærogativa decorat Valer. Maximus libro nono Capite primo. *περρέσιον*. 1. Peruſiam *μίαν τῶν δώδεκα ἀρχηγετίδων* dicit idem Bizantinus, atque etiam Appianus libro Sexto de Bel. Civili. Livius igitur modo huic, modo illi principatum tribuit, quod & alii factitarunt : idque ideo accidiſſe opinor, quia Summus Lucumo ex alia, atque alia urbe eligebatur, à qua ſententia non abhorret Cluverius libro ſecundo Ital. Ant. p.454, ubi hæc habet. *Servius docet XII hiſce Lucumonibus unum præfuiſſe : id ego per vices, & certo ſingularum urbium ordine factum cenſeo*. Verum ipſe ex hoc conjicio Urbem Principem fixam fuiſſe ad Fanum Volturnæ, ubi Solemnia Sacra fiebant, & Concilia belli, & pacis agitabantur. Nam quis credat Lucumonem primum, & Sacerdotem Summum, ut ex Livio colligimus initio libri quinti cum

tota Curia, prætorio, ac toto apparatu Pontificali, ac prope regio quotannis huc, atque illuc ex Arretio verbi gratia ad Vejentes, ex Tarquiniis ad Volaterranos fuiſſe vagatum, populoſque jura, atque imperii ſummam illum errantem ſequutam? Jam oſtendimus Tetrapolim apud nos ſtetiſſe, ibique Vetuloniam, de qua Silius Italicus libro octavo:

Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et PRINCEPS tyrio crinem circumdedit oſtro.

Enimvero ſi in Hetruria Circumpadana, atque in Campana Urbs primaria, quæque ut ait Virgilius erat *Ipſa Caput Populis*, una, atque immobilis extitit, quis neget ad normam noſtræ Hetruriæ fuiſſe compoſitam? Virgilius libro octavo Æneidos ſub initium noſtram Urbem Principem, & reliquarum Caput videtur oſtendere ſi Servio credimus, nam Tuſcum amnem Tiberim ſic dicentem inducit:

Hic mihi Magna Domus celſum caput Urbibus exit.

ad quæ magnus ille interpres: *Celſum caput Urbibus*, addit, *de Tuſcia intelligit, quæ illis conſtat multum floruiſſe temporibus, nam & Lucumones Reges habebat, & magnam Italiæ ſuperaverat partem.* Livius quoque libro nono Capite 23 DOMUM noſtram Metropolim vocare videtur, quum geſtum ad Sutrium bellum deſcribit: *Novus Exercitus Domo accitus Etruſcis venit.* Qui hebraice ſciunt, an תרבין בית. i. Beth Therbo hæc conveniant melius intelligent. Ceterum ex his, quæ diximus, inepte aliqui Reges nos habuiſſe credunt: Nam apud Livium in principio libri quincti diſerte legi-

gimus: *Vejentes tædio annuæ ambitionis, quæ interdum diſcordiarum cauſſa erat Regem creavere. Offendit ea res populorum Etruriæ animos.... Auxilium Vejentibus negandum donec ſub rege eſſent decrevit*. Equidem quum Samnites poſtulaverint Etruriæ principum concilium, ut idem Patavinus ait libro X Capite X, quod & legimus apud Halicarnaſſium initio libri noni, cumque Tarquinius ſupplex circumjerit Etruriam, ut notat idem libro ſecundo Capite tertio, ut alia prætereamus exempla, ἀριστοκρατικὴν habuiſſe imperii formam dubitare non poſſumus. At Etruſcorum Reges ſæpe legimus, atque audivimus: Livius libro quarto c.9, atque etiam Florus Lartem Tolumnium commemorant, atque etiam Cicero Phil.9, quem Volumnium etiam dixerunt: Extat in Faliſcis lapis ARTI TOLUMNIO: Sæpe enim V, pro T uſurpabant, ut notavit Reineſius. Varro Vehebrim, ſeu ut Scioppius legit, Thebrim Vejentem Regulum appellat l.4 LL., Thybrim vocat Servius in librum octavum. Idem Virgilii Scholiaſtes eodem libro Morvium Regem refert, atque alio in loco Propertium: Plutarchus in Parallelis Reges Turrheniæ Annium, Porſennam, Ebium, & Truſcum enumerat, qui cum Valerio Romanorum Duce pugnavit. Pauſanias Eliacorum libro quincto Arimini Tuſcorum Regis meminit, qui primus exterorum dona Jovi Olympio miſit. Suſpicamur tamen aliquos in Italia, quæ Tyrrhenia dicebatur, ſolum regnaſſe ex his, nam Æolum quoque Tyrrheniæ Regem appellat, qui inter noſtros certe non eſt enumerandus, ut jam monuimus contra Dempſterum. Verum

multos & Regis nomen, & inſignia apud noſtros habuiſſe non imus inficias, at hoc contigiſſe ſolum belli tempore aſſerimus, quum ut ait Livius libro primo Capite quarto *communiter creato Rege ſingulos ſinguli Populi lictores dabant*, quod clarius multo ex Dionyſii Hal. libro tertio didicimus. Τυῤῥηνῶν ἔθος εἰδόκει ἑκάςου τῶν κατὰ πόλιν βασιλέων ἕνα προηγεῖσθαι ῥαβδοφόρον ἅμα τῇ δέσμῃ τῶν ῥάβδων πέλεκυν φέροντα. εἰ δὲ κοινὴ γένοιτο τῶν πόλεων ςρατιὰ, τοὺς δώδεκα πελέκεις ἑνὶ παραδίδοσθαι τῷ λαβόντι τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. i. *Etruſcorum mos fuiſſe putatur unamquamque Civitatem ſuo Regi Lictorem unum addere, qui cum Virgarum faſce Securim illi præferret: quoties vero Communis Urbium fieret expeditio, XII Secures traditas fuiſſe ei, cujus eſſet imperium in exercitum*. Et quamvis hic βασιλέα. i. regem unicuique Urbi aſſignet, quod facit & Servius loco ſupra laudato, & alibi: *Tuſcia* XII *Lucumones habuit, ideſt Reges*, tamen quis ſibi ſuadeat hic regium nomen proprie uſurpatum, & non per catachreſin? Hoc videmus ex eodem Servio, nam Lucumones, quos Reges indicaverat ſignificare, alio loco nempe in librum quinctum Tuſcos explicat: *Varro dicit Romulum dimicantem contra T. Tatium à* Lucumonibus, *ideſt Tuſcis auxilium poſtulaſſe*. Id ortum inde credo, quod noſtri Tyranni dicti ſunt, ut jam ab initio oſtendi: hinc quum XII Tyrannos forte legerent modo Tuſcos, modo Reges interpretabantur. Ceterum aliquando duces dictos invenimus. Mezenzius Τυῤῥηνῶν ςρατηγός vocatur à Plutarcho problem: Rom:, ſicut quem Marſyam Ly-

Lydorum Regem appellat Solinus Capite ſecundo, atque octavo, Plinius libro tertio Capite duodecimo Ducem vocat. Tempore gallici tumultus Fidenates Poſthumium Livium Dictatorem appellabant, ut ex Macrobii libro primo Saturnalium Capite undecimo intelligi poteſt. Quum igitur expeditio aliqua facienda erat, qui mos Lucedæmoniis quoque fuit, ut ex Iſocratis Nicocle cognoſcimus, tunc Rex ſeu Lartes ſæpe unus aliquis ex XII Lucumonibus, ſæpe etiam ex externis eligebatur, quod nos docet peritiſſimus Virgilius libro octavo, ubi ſic Evander loquitur:

Ipſe Oratores ad me, regnique Coronam
Cum Sceptro miſit, mandatque inſignia Tarchon:
Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.

Atque hæc quidem titubanter, ac timide ſolis conjecturis fretus ſcribo: Nam quum veterum Etruſcorum imperium ſive Provinciarum magnitudinem, ſive rerum geſtarum, atque inventionum gloriam, ſive temporis diuturnitatem ſpectes magnum, & memorabile fuerit, vix in Scriptorum veterum libris ejus mentionem invenimus adeo, ut laboret legentium fides, ut illud fuiſſe credat. Ipſius Etruſcæ linguæ vix pauca vocabula ſuperſunt: Characteres nemo eſt, qui intelligat, ac vix ex omnibus, quæ nunc habemus, pagellam impleas, quum diſſitarum gentium volumina extent, & legantur. Quod quidem maxime mirum videbitur, ſi quis conſideret Tuſcorum vicinitatem, ac cum latinis commercia, præſertim quum Ro: adoleſcentes noſtris litteris erudirentur, ut notat Cicero libro ſecundo de Legibus, Livius

libro

libro nono, & Val: Maximus libri primi Capite primo. Neque vero huic admirationi, ſeu potius querelæ quis ſatis ſe facturum opinetur, ſi dicat ob nimiam vetuſtatem hæc accidiſſe, nam non modo Ariſtoteles, ut Athenæus refert libro duodecimo Gymnoſophiſtarum, de Etruſcorum inſtitutis peculiarem librum ſcripſit, & Theophraſtus etiam περὶ Τυρσηνῶν librum integrum compoſuit teſte Pindari Scholiaſte in Pith. ode 2, & Soſtratus Τυρανικῶν ideſt Tyrannicorum plura volumina in lucem edidit teſte Stobæo Ser. 185, & Plutarcho in Parallelis; verum etiam Claudius Imperator Τυῤῥηνικῶν viginti libros elucubravit, & ut publice Alexandriæ alternis annis cum Χαρκηδονικοῖς recitarentur inſtituit, ut memoriæ prodit Svetonius Capite 41. Prætereo Dionyſium Hal., qui de Tuſcorum Inſtitutis ſe ſcripturum pollicetur, & Volnium tragœdiarum Tuſcarum Scriptorem, quem laudat Varro libro 4 LL. Ubi nunc tot, ac tanta volumina, ubi pagina, ubi pauca ſaltem verba ex ipſis deſumta leguntur? Cincius Auctor diligens Monumentorum Etruſcorum refertur à Livio libro ſeptimo Cap. 2, Suidas v. Τυῤῥηνία Scriptoris noſtratis hiſtoriam laudat, ubi de Deo, de Mundi opificio, ac de ſex dierum operibus mirum in modum diſſeruit, ut Capite ſecundo attigimus: Tuſcas hiſtorias ex Varrone citat Cenſorinus, quæ ſingula noſtri imperii ſæcula deſcribebant, & in decimo finem nominis Etruſci vaticinabantur. At hæc ſcripta omnia interierunt. De Superſtitioſis nunc non loquimur, quos jure, ac pie à Chriſtianis deletos, ac combuſtos puto, ſicut diſciplinam

nam Ectiſpicii, quam Lucumones Etruriæ Potentes exſcripſerunt, ut ait idem Cenſorinus: & diſciplinam Etruſcam Tagetis, & Baechetidis, quam Labeo XV voluminibus explicavit, ut ex Fulgentio cognoſcimus v. *Manales*. Hanc ſe vidiſſe teſtatur Plinius libro ſecundo Capite 52: Rituales libros Etruſcorum, quos ſæpe commemorat Feſtus, idemque Cenſorinus de Die Natali, ubi & Etruſcos libros fatales etiam nominat, quos puto Tullium laudare in Oratione de Aruſpicum reſponſis. Aruſpicinæ libros, & Sacra Aruntia refert Servius in librum octavum ad verſum *Nec Pater Omnipotens*... & Arnobius libro ſecundo adverſus Gentes, ubi quidam male, ac contra vetera MSS. legunt pro Aruntia Acherontia, ut jam monui: Sacra trajectitia citat Carminius apud Macr. Saturn. l.5: Haruſpicinam Tagetis, quam in voce *Præſegmina* notat Fulgentius de Priſco Sermone, & Ammianus Marcellinus libro ſeptimo: libri Umbritii Melioris, & Ju: Aquilæ, & Cecinæ, qui de eadem re diſſerebant, laudantur ſæpe à Plinio in Elencho librorum Hiſtoriarum Natur., & Seneca libro primo, & ſecundo quæſtionum Natur. Bygois Nympha Artem fulgitrarum ſcripſit apud Tuſcos, ut teſtis eſt Servius in lib.6: Oſtentarium Etruſcum, & oſtentarium Arborarium, & librum de rebus Divinis, & præterea de Illuſtribus Viris ſcripſit Tarquitius Tuſcus, ut legit Scaliger, Pontanus, & Morhoſius (non Tarquinius), quorum meminit Plinius in Elencho libri ſecundi, Macrobius l.3 Saturnal. c.7, & 20: Ammianus libro XXV, & Lactantius l.1 Cap.X. Jus Pontificium, quod Etruſcorum eſſe

eſſe dicit Cecina Albinus apud Macrobium libro ſeptimo Capite XIII Saturnalium, his quoque accenſemus. Nam quum quæſtio agitaretur de Anulo cur in digito proximo minimo geratur, proferuntur rationes primum Ægyptiorum, poſtea ex jure Pontificio, deinde hæc addit: *Hæc ſunt quæ lectio pontificalis habet: unuſquiſque ut volet, vel Etruſcam, vel Ægyptiam opinionem ſequatur*. Verum de his hactenus fortaſſe nimium.

CAP. XXX.

De noſtrę Civitatis Politia ſub Romanis. Quo tempore Civitate donati fuimus conjectura ex Plauto, & Cicerone.

SVB Romanis Regibus, ut ex Dioniſio Strabone Floro, ac Macrobio videre eſt, ſæpius victi fuimus, immo etiam ex Tuſceis triumphos referunt lapides Capitolini, qua in re T. Livio magnas habemus gratias, qui cum noſtrorum populorum nullam cladem referat, & ſolum Vejentes cum aliis Erruſcis à Servio Tullo fuſos narret, Tuſcę Reip: ea ætate maxime florentis honori, ut opinor, ac dignitati conſuluit. Putat ipſe XII Lictorum numerum Romulum à finitimis Etruſcis duxiſſe, fortaſſe tamen, addit, à numero Avium, quæ Augurio regnum portenderant, & univerſos Etruſcos, quos victos alii diſerte aſſerunt intactos relinquit. Florus, & Strabo nos victos narrant, & Dionyſius Cluſinos.

ſinos. Arretinos, Volaterranos, & Vetulonienſes ſuperatos, verum ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, καὶ αὐτονόμους, hoc eſt, ut paucis verbis dicamus, quod vix multis complecti poſſumus, antiquo jure, & priſca libertate dimiſſos nos referunt, & non ſolum armis, verum etiam animi magnitudine, ac virtute ſuperatos. Sub Conſulibus quoque etſi ſæpe triumphi de noſtris relati fuerint, tamen quadringentos, & amplius annos ſemper Romanum detrectaſſe imperium ex tot bellis, quæ Livius, aliique deſcribunt, facillime coniicere poſſumus. Ad Annum 435, ubi de Alexandro Macedonum agit, partem Hetruriæ refert inter ſocios Populi Ro:, quibus ei reſiſti potuiſſet: addi poteſt Polybius, quem laudat Sigonius libro primo de Antiq. Jure Italiæ; qui bello gallico Ciſalpino inter Socios Romanorum etiam Hetruſcos recenſet. At Punici belli tempore univerſam Hetruriam magiſtratibus Ro: paruiſſe ex eodem Livio colligimus, qui eam in provinciæ formam redactam M. Junium Sillanum anno V. C. quingenteſimo trigeſimo octavo, & inſequenti ſecundum Seminarii Patavini editionem, Cajum Calpurnium anno quingenteſimo quadrageſimo; Q. Fabium anno poſteriore; deinde C. Hoſtilium Tubulonem anno quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, & C. Terentium Varronem anno poſt propraetore obtinuiſſe ſcribit: Anno vero quingenteſimo quadrageſimo quarto, & eo qui ſequitur M. Livium proconſulem tenuiſſe memoriæ prodit: quo tempore is in Hetruriam Provinciam ex Senatus Conſulto eſt profectus ad quæſtiones habendas, qui Etruſcorum, Umbro-

rumque populi defectionis ab Romanis ad Aſdrubalem conſilia agitaſſent (noſtram Civitatem intelligit opinor, ac noſtros Umbros) : Nam inter hæc, atque eodem hoc anno quingenteſimo quadrageſimo quinto Cærites, Populonienſes, Tarquinienſes, Arretini, Peruſini, Cluſini, Ruſellani Populum Romanum contra Pœnos pro ſuis quiſque facultatibus ſe adjuturos polliciti ſunt : & paullo poſt anno quingenteſimo quadrageſimo ſexto inſequenti M. Cornelio Coſ: narrat idem Livius libro XXIX capite XXI Etruriam totam ferme ad Magonem verſam, quæſtiones habitas à Romanis, & multos nobiles Etruſcos damnatos. In marmore ſepulcrali apud S. Angelum de Spatha extabat olim :

MEMORIÆ VALERII AGRICOLÆ
C. V. Q. D.

quem Valerium Prætorem noſtrum fuiſſe Annius putat in Viterbienſis hiſtoriæ Epitoma MSS. inter Cod. Vaticanos. Exinde ad Auguſti tempora pleraſque Urbes, quamvis hoc fieri multo ante etiam cœptum fuerit, in Municipia, & Colonias diviſas ex Vellejo Paterculo, aliiſque indubitatum eſt : In eo numero tamen an noſtra Etruria, ſeu Tuſcania ſit vehementer ambigo, quum id ſolum obtinuiſſe videatur poſt Spurinnae adoleſcentis exemplum memorabile pudicitiæ à Valerio Max: laudatum : Nam Plautus, qui ad Annum V. C. quingenteſimum quinquageſimum quartum ſcripſit, nos Lydos barbaros vocat in Curculi: Act. I. Scena tertia, ut notat

cat Scholiaſtes ad uſum Delphini : & aliquanto poſt T. Gracchus Augur, & Conſul anno quingenteſimo ſeptimo ſic loquitur apud Ciceronem libro ſecundo de Natura Deorum : *An vos Tuſci barbari auſpiciorum populi Ro: jus tenetis* ? Neminem enim latet Romanos vocaſſe Barbaros illos omnes Græcis exceptis, qui aliquo Romanorum jure non fruebantur, ſicut Gallia Barbarorum vocatur apud Ciceronem pro Corn: Balbo, quod diſerte tradit Hadrianus Valeſius in Not: Galliarum : *Romani*, ait, *exemplo græcorum populos omnes liberos, aut ſaltem ditioni ſuæ non ſubiectos barbaros nuncupabant*. Ex quo nemo non videt neque Cærites, qui primi omnium municipes dicti ſunt ſine ſuffragio, neque Vejentes, quorum ager plebi fuit diviſus, neque Nepet, neque Sutrium, quæ Coloniæ factæ fuerant ante annum V. C. quadringenteſimum, neque Faliſcos, qui Camilli virtute provocati per eadem tempora ſe Senatus fidei tradiderant, Barbaros dici potuiſſe : Prætereo Lucum Feroniæ, Ruſellas, Senas, atque Arretium, aliaſque Urbes, in quas deductæ Coloniæ tempus certum ignoro. Certum eſt multo ante Tiberium Sempronium Gracchum, atque etiam Accium Plautum Alſium, Fregenas, Pyrgos, Graviſcas, Coſam, Caſtrum Novum, Piſas, & Lucam Civium Romanorum jure, atque coloniarum Ro: honore fuiſſe inſignitas, & Tribus Vejentinam, ſeu Vejentanam, Trometinam, Stellatinam, & Arnienſem ex Hetruſcis ortas. Hetruſci igitur omnes barbari dici non poterant, neque univerſi poterant Civitate donari : quare non levis mihi ſuſpicio eſt Plauti, & Grac-

chi voces ad noſtros referri poſſe, ac debere; & Val: Maximum de Spurinna noſtro Cive locutum, quum ſcripſit libro quarto de Verecundia capite quinto: *Quod ſequitur externis adnectam, quia ante geſtum eſt, quam Etruriæ Civitas daretur*: quod mirum in modum illuſtrat Epigramma Arretii inventum, quod Spurinnarum gentem Vetulonienſem fuiſſe indicat, ut jam Capite decimo nono demonſtravimus. Scimus Appianum libro primo Bel. Civ: cum Tacito libro XI Civitatem Etruſcis datam ſcribere, qui ſocialis belli tempore in fide permanſerant, ſed ſi de ſola noſtra Civitate non loquitur, ſaltem de ea cum paucis aliis, quæ hoc beneficio carebant, locutus fuiſſe dicendus eſt. In quam autem Tribum noſtri conjecti fuerint, ſi quis quærat, in Pomptinam reſpondere non dubitamus. Nam Tarquitiam gentem in noſtra Urbe ortam ſic refert Inſcriptio apud Gruterum pag. 625.

L TARQVITIO
L. F POMPT
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBÆ QVÆSTOR
EX TESTAMENTO
D H S XX.

Ubi

Vbi illud adnotandum Gentem Tarquitiam Tuſcam appellari à Macrobio libro 3. Saturn. cap. 20, quod notavimus cap. 29 ex multis aliorum teſtimoniis. Spurinnam quoque Q. F. P.... Quintianum vidimus in capite 19, ubi P.... Pomptina pariter legendum cenſemus, & hæc quoque gens erat à noſtra Etruria, ut ibidem oſtendimus. Aſt aliæ quædam Inſcriptiones Papiam noſtris tribuere videntur: Afriſemium enim ex Annia gente, quæ Vera dicta fuit, ſic referunt:

AFRISEMIO PAP
VERO DEC COL
SARM. VIX AN XXXX
ET L CLODIO PAP. E
ſic TRISCO P. C.....

Verum aliquas Tribus duobus aliquando nominibus inſignitas notavit Eruditiſ:, atque Elegantiſ: Sigonius libro primo de Antiquo jure Civium Ro:, ubi Papiam ipſam inter binomines refert. Hoc vero accidiſſe opinatur propter aliquam familiam illuſtriorem in eam adſcriptam, quod in rem noſtram optime caderet, nam T. Annium Milonem ex gente Papia ortum capite ſeptimo cum Aſconio jam adnotavimus, ſed à C. Annio Vero AVO materno adoptatum in Anniam tranſiſſe: ex quo ortum eſt ni fallimur, ut hac occaſione noſtrates gratiam referre vo-

voluerint, & pro Pomptina Papiam uſurpárint: præſertim quum illius eſſent amantiſſimi: quod ex Tullio jam obſervavimus. Ab Auguſti Imperio Tuſciam in ſuburbicariam, atque Annonariam fuiſſe diviſam notat Salmaſius, & Samuel Petitus l. 3. cap. 23: Illa continebat Vrbes, atque oppida omnia intra centeſimum ab Vrbe lapidem, hæc quidquid extra centeſimum erat: In Tuſcia præterea Annonaria Magiſtratum extitiſſe ſupremum, qui de omnibus cauſis cognoſceret cum ſummo imperio, ac poteſtate, in noſtra vero non fuiſſe hujuſmodi ex hoc decreto arguit idem Petitus Miſcellaneorum libro tertio pag. 205.

Imperator Conſtantinus ad Baſſum.

Placuit poſt completum XX, & V annum, ex quo vigeſimi, & ſexti anni dies illuxerit ad interponendam conteſtationem in Vrbe Roma uſque ad trigeſimi anni extremum diem ſpatia porogari, & intra centeſimum Vrbis Romæ milliarium, ſi tamen ab iis Iudicibus, qui Romæ ſunt, fuerit judicandum: Per totam vero Italiam, uſque ad finem anni vigeſimi noni: in ceteris omnibus provinciis uſque ad completum an. vigeſimum, & octavum. Dat. Kal. Aug. Naiſſo PP. Romæ non: Octob. Conſtant. Aug. VIII, & Conſtantio Cæſ: Coſſ: hinc patet (addit Petitus) nullum tum fuiſſe in ſuburbicariis regionibus Magiſtratum præter municipales, ideſt nullum Correctorem, aut Conſularem, aut Præſidem, qui de omnibus cognoſceret, & judicium redderet exceptis Senatorum capitalibus cauſſis, & graviore coercitione, & jure gladii, ſed ſuburbicariarum regionum Judices Romæ fuiſſe, & Auguſti inſtitutum nondum

mu-

mutaſſe. An hæc vera ſint omnino alii viderint ex Alexandro Juniore, Jacobo Sirmondo, Benedicto Bacchino, qui de regionibus ſuburbicariis ſcripſerunt. Ipſe in rem noſtram Prætores, alioſque non infimi ſubſellii præſides in finitimis Romæ regionibus ſaltem per arrogantiam appellatos oſtendam. Sic Cicero pro Milone Dictatorem Lanuvii fuiſſe teſtis eſt, & apud Gruterum p. 224 Cærites eundem habuiſſe Magiſtratum cognoſcimus: Gabiis, Fideniſque Poteſtas erat, & Ulubris Ædilis jus dicebat, ut ex Juvenale didicimus Sat. X.

An Fidenarum, Gabiorumque eſſe Poteſtas,
Et de menſuris jus dicere, vaſa minora
Frangere, pannoſus vacuis ædilis Ulubris?

Apud Arpinates ædilem quoque fuiſſe, & pluribus aliis in locis Conſules notat Chimentellus de Honore Biſelli Capite quinto: Ex uſu namque populi, aut Civitatis loquebantur, (ut ejuſdem voces uſurpem), nec tamen verum non erit, quod ſapienter indicat Reineſius eam conſulum appellationem, apud quoſdam populos tantum domi regnaſſe, ab ipſa interim Romana conſuetudine abhorruiſſe. Hujus quoque rei in teſtimonium vocatur Spartianus, qui de Hadriano ſic ſcribit: *In Etruria Præturam Imperator egit, per latina oppida Dictator, & Duum Vir fuit.* Feſtus de Verborum ſignificatione verbo *Præfecturæ* à Prætore Urbano miſſos fuiſſe notat præfectos Fundos, Formias, & quod ad noſtram Hetruriam ſpectat Saturniam, & Cære: & ne ſola fuiſſe quis credat ea, quæ enumerat, addit: *in hæc oppida, atque alia complura.* Quare minime

nime mirum eſt in Urbibus Romæ vicinis hujuſmodi Magiſtratus ſæpe inveniri præſertim in Actis SS. Martyrum: In Portu Romano ex actis S. Hyacinthi Leontius Conſularis, & in iis SS. Martyrum Secundiani, Veriani, & Marcelliani, qui poſtea Tuſcanellum tranſlati ſunt ex Centamcellarum vicinia Quartus Promotus Conſularis pariter nuncupatur. In Sabinis haud procul Urbe Roma in actis SS. Getulii, & Sociorum Licinium Conſularem fuiſſe legimus. Iidemque Proconſules aliquando dicti ſunt, inquit Fulvius Cardolus S. J., qui notas in eadem acta elucubravit. In actis S. Firminæ Proconſulem Ameriæ legimus, & in iis S. Antimi, & Sociorum Priſcus Proconſul habetur non longe ab Vrbe milliario vigeſimo ſecundo: Quam in rem audiendus eſt auctor de Morte Perſecutorum Capite Septimo, *Et ut omnia terrore complerentur* (de Diocletiano loquitur) *Provinciæ quoque in fruſta conciſæ multi præſides, & plura officia ſingulis regionibus, ac pene Civitatibus incubare*. Hinc enim vero omnis removetur ſcrupulus à neſcio quo obiectus contra hiſtoriam noſtrorum SS. Martyrum Hilarii, & Valentini, qui Beterbi à Proconſule capite damnati dicuntur ad pontem Camillarium, & SS. Martyrum Demetrii, & Eudoxiæ Viterbienſium. Certe ſi pro ſola πολιτικῇ adminiſtratione Vrbium, ac provinciarum præſides toties mutati fuerunt, ut notat Salmaſius in Hadrianum Spartiani, & Baronius in diem 27 Maii; quid dicendum, aut cogitandum eſt fuiſſe factum, quum de religione ageretur, & quum Vana ſuperſtitio, ac dæmonum ſtimuli in furias pluſquam tartareas Romanos Imperatores commutarunt?

Quam-

Quamquam quum de noſtra Civitate ſermo ſit, minime neceſſarium eſt ad has extraordinarias Cæſarum conſtitutiones confugere: Scribonius enim Largus, qui ſub Claudio floruit, Capite Centeſimo quadrageſimo ſexto meminit aquarum Calidarum in Tuſcia, quæ Veſicariæ appellantur, & Milonis Gracchi *Prætorii hominis ad quinquageſimum lapidem reddentis*: in quibus quidem verbis jura ſubintelligere neceſſe eſt, quæ expreſſe poſuit Plinius in locutione ſimillima: *Lartii Licinii Prætorii viri jura reddentis in Hiſpania* libro XIX capite II. Hinc cujuſdam Antiquarii eruditiſſimi opinio, qui Gracchum hunc quinquaginta lapides è veſica emiſiſſe ſcripſit, adeo abſurda eſt, ut magis riſum, quam confutationem requirat: Non legerat ille Marcellum de Medicamentis Capite vigeſimo ſexto edit. Aldi 1547 Medicorum Antiquorum, ubi hæc habentur - *Aquæ Calidæ ſunt in Tuſcia ferratæ, quæ mirifice remediant Veſicæ vitia: qui locus quondam fuit Milonis Brocchi* (melius Gracchi) *Prætoris optimi ad quinquageſimum ab Urbe lapidem*. Quæ ut clarius intelligantur animadvertendum eſt via Caſſia, ſeu Clodia, ut quidam appellant propter vicinitatem, & conjunctionem, qua iis temporibus ad nos tritius iter erat, ſecundum breviorem Antiquorum menſuram quinquagies mille paſſus ab Urbe ad noſtram Etruriam fuiſſe numeratos, ut ex Antonino cognoſcimus:

Ab Vrbe Volſinios Via Clodia

Baccbanas M. P. XX*I.*

Sutrium	*M. P.*	*XII.*
Forum Caſſii	*M. P.*	*XI.*

Joannes Rhodius in notis ad Scribonium numero eodem pag. 220 Aquas Veſicarias Viterbienſes intelligi poſſe non negat, quia vere ferratæ ſunt, & potui aptæ, quæ Centumcellenſibus non conveniunt, ut Hieronymus Merculialis poſt diuturnam inconſtantiam putavit libro primo variar. Lectionum in Script. Antiq. Med. Capite XIII, & præterea notat vere eſſe ad quinquageſimum ab urbe lapidem allato Antonini, eodem itinere, & milliariorum ſpatio. Hoc idem ex tabula Peutingeriana poſſumus intelligere:

Ponte Milvii			
Ad Sextum	*VI.*	*Sutrio*	*XII*
Vejos	*VI*	*Vico matrini*	*VIII*
......	*VIII*	*Foro Caſſii*	*IV*

Noſtra enim Civitas, quæ Tuſcia etiam dicebatur, ut oſtendimus Capite quarto, & Thermæ poſt Vicum Matrini, Forumque Caſſii ſunt, abſuntque millia paſſuum ſeptem, quæ quinquaginta ferme conficiunt: Inter noſtras vero Thermas præſertim Papæ, ut ajunt, Balneum & bibibendo utile, & ferri, æriſque particeps, & arenularum, calculorumque alexicacon teſtatur Baccius pag. 353. Ceterum apud nos Prætor erat, ut ex duobus litteratis lapidibus Capite VII. demonſtravimus, & paullo ante ex Spartiani teſtimonio: prætoris enim nomen non ſemper ſummum Provinciæ alicujus præſidem ſignificat, ut opinantur quidam, quem noſtri non Prætorem, ſed Correctorem vocabant, & Horatius,

tius in Urbe non magna fuiſſe prætorem ſcribit l. 1. ſerm. ſat. 5, & in homine non magnæ æſtimationis:

Fundos Aufidio luſco Prætore libenter
Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ:
Prætexta, & latum Clavum &c.

Reineſius inſcriptionum Cl: 6. 73 PR. ET QVÆSTORI AVXIMI, ut etiam habet Manutius in Orthographia p. 169, & Sigonius de Ju: Ital: l. 3. c. 3 aliam refert inſcriptionem, ubi Alatri C.Julium prætorem fuiſſe, & ſimul Ædilem, & IIII Virum juridicundo adnotatur: apud Gruterum p. 383 n. 1. PRÆTOR TIBVRTIVM.

Quare ſi Marcellus, & Scribonius ipſi concors prætorem ad quinquageſimum ab Vrbe lapidem aſſeruut, memorantque Aquas ferratas, quæ Veſicariæ dicebantur, quis dubitet de noſtra Civitate eſſe intelligendos, ubi Prætor erat XV Populorum, & ubi Thermæ vere veſicariæ ſunt, quod fatetur ipſe Mercurialis loco citato, & Joannes Rhodius Scribonii Scholiaſtes, ut autores prætereamus, qui ex profeſſo de noſtris balneis ſcripſerunt? Præſertim quum ſciamus Correctorem, non Prætorem, fuiſſe in Tuſcia, & Vmbria Magiſtratum ſupremum. Putamus tamen noſtrum Prætorem ſub Vrbis Pręfecto fuiſſe, cujus juriſdictio ad Centeſimum lapidem ſe extendiſſe vulgo creditur: Nam S. Felix Martyr, qui Sutrii occubuit, paſſus dicitur ſub Turcio Præfecto, qui Apronianus ille fuit, cujus antiqua Epigrammata meminerunt, quæ laudat Cardinalis Baronius in Not. ad Martyrologium ix Kal. Iulii, & Contelorius de Vrbis Præfecto. Sed aliquanto poſt Hadria-

drianum Imp. regimen fuiſſe variatum, atque immutatum ex multis ſatis aperte colligimus: non modo enim ſub Valentiniano, & Valente Terentius Corrector Vulſiniis juriſdictionem habebat, ut ex Codice Theodoſiano videmus, idemque Annonariam Correctoris adminiſtravit poteſtate, ut loquitur Amm: Marcellinus libro vigeſimo ſeptimo; verum etiam in noſtra Civitate non amplius prætorum, ſed rectorum nomine Magiſtratus præſidebat. Quod ut melius intelligatur perpendendus eſt Rutilii Numatiani locus pulcherrimus. Is Lacanium habuit patrem, ut notat Jo. Caſtalio in Not., qui ut ipſe narrat ſumma fuit poteſtate in Tuſcia Annonaria:

Namque Pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
Faſcibus & ſenis credita jura dedit.

ſex faſces Summi Magiſtratus ornamentum fuit, immo Proconſulum ex Vlpiano l. Proc. 14 ff. de Offic. Proc., ut obſervat in hunc Rutilii locum Sitzmannus: Narrat deinde patrem ſuum Piceno, & Flaminiæ præfuiſſe:

Hæc eadem cum Flaminiæ regionibus irem
Splendoris Patrii ſæpe reperta fides.

tandem poſt paucos verſus Rectorem fuiſſe commemorat in noſtra Etruria, ubi ut diximus Coritus, & Lydii regnarunt.

Famam Lacanii veneratur numinis inſtar
Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet provincia mores.
Dignaque Rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
Per Coriti populos arua beata regit.

bis

Bis igitur poeta Tyrrhenorum regiminis meminit, & dum de Piſis, quo ut Protadium viſeret, ſe contulit, verba facit, & dum de Turrigenis Lydis, ſeu Coriti populis ſermonem habet: unde non pro una, eademque adminiſtratione intelligendus eſt: Meminiſſe enim oportet ampliſſimum Tuſciæ Annonariæ regimen cum Umbria fuiſſe conjunctum: deinde notandum eſt illius patrem fuiſſe Piſis cum ſumma poteſtate, & cum ſenis faſcibus: Apud nos vero fuiſſe Rectorem tantum cum minore imperio, ut etiam vocat Symmachus libro nono Epiſt. 120 *Extat vetus profeſſio Campaniæ Conſularis: Extant acta apud Etruſcum confecta Rectorem*. Si de tota Tuſcia Annonaria, vel Suburbicaria loqueretur, ſicut Conſularem illum Campaniæ, ſic Correctorem hunc Tuſciæ Symmachus appellaſſet, & in inſcriptione, quam Capite ſeptimo retulimus à Vulſiniis, & Ferento Etruria XV populorum non diſtingueretur. Nec quiſquam miretur, ſi dum de noſtra Civitate agit Rutilius, provinciam vocat, nam apud Latinos Scriptores & Aurei, & ſequioris ſæculi provincia pro adminiſtratione etiam unius populi, atque Urbis uſurpabatur, ſicut toties legimus apud Livium Provincia Volſci, Provincia Æqui, Provincia Etruria, Provincia Vejentes, Provincia Volſinienſes, & apud Anonymum ab Erud. Placido Porcheronio editum p. 199: Provincia Ravennatis, Provincia Pentapolenſis, Provincia Caſtelrum: Immo hic apud Numatianum Provinciæ nomen pro tota Hetruria à Tiberi ad Arnum ſi quis accipere vellet, turpiſſime laberetur, nam in tota Italia nulla

erat

erat provincialis tunc adminiſtratio, ut notavit Sigonius libro primo de Jure Antiq. Provinc. Capite primo, & ideo *in Ciminia parte Italiæ* legimus apud Ammianum Marcellinum Succunium ad Erebi profundos hiatus abactam libro decimo ſeptimo. Quod ſi Livius libro XXV c. 2 M. Junium Sillanum, & C. Claudium Neronem Sueſſulam prætores miſſos Anno V.C. 538, & libro XXVII Capite 23 C. Calpurnium, alioſque Hetruriam Provinciam proprætore obtinuiſſe ſcribit ad Annum V.C. 544, id contra nos non facit, nam pro eo tempore eſt veriſſimum, non autem pro poſterioribus ætatibus, quum jus Italiæ, vel Latii omnes Romæ finitimæ gentes impetraverant, & provinciæ ſolum extra Italiam numerabantur, ut ex Plinii libro tertio Capite quarto clariſſime colligimus.

DE EPISCOPIS VITERBIENSIBUS

Parergon .

POſtquam de noſtræ Urbis antiquitate juſto volumine diſſeruimus, ut quibuſdam difficultatibus de Epiſcoporum Sede reſponderemus; viſum eſt nobis rem integram in alium locum, tempuſque rejicere, ut quæ ad Eccleſiæ noſtræ hiſtoriam pertinent, peculiari, ac diſtincta, ut par erat, tractatione ſcriberentur. Quamquam vero multa cum iis, quæ diximus conjuncta ſint; tamen eum tenebimus modum, ut quæ jam explanata ſunt breviter attingantur: quæ porro novas habebunt difficultates fuſe, ac dilucide pro viribus enucleentur.

Duo ſunt, eaque graviſſima, & quibuſdam etiam ſuffulta diplomatis, quæ primo adſpectu contra nos faciunt, atque in quibus adverſarii magnifice ſe jactant: alterum Cæleſtinum tertium Viterbienſe Oppidum Civitatis nomine inſigniviſſe: alterum Pontificalis Cathedræ dignitate decoraſſe: ante enim hujus Pontificis tempus Viterbum Tuſcanelli Epiſcopo fuiſſe ſubjectum contendunt, ac S. Leonis quarti hoc idem aſſerentis privilegium proferunt. Expendenda igitur de more hæc ſunt, atque illud præſtandum, ut veritas in tuto, atque in bono lumine collocetur, & Pontificiis litteris nihil detractum eſſe videatur.

Atque ut ab eo exordiamur, quod primo nobis opponitur nempe Viterbum ante Cæleſtini tempora Civitatis nomine non fuiſſe ornatum, nos integro volu-

mine hoc falſum eſſe oſtendimus : & nunc pauca delibabimus : Etruriam fuiſſe Civitatem, ac Tuſciam, Turrheniam, Turſeniam, Turſaniam, ac Tuſcaniam pro dialectorum varietate appellatam ipſi adverſarii concedunt, & nos ex Plinio, Livio, Halicarnaſſeo, Scymno Chio, & Valerio Maximo, aliiſque quamplurimis clariſſime probavimus. Unum teſtem hic proferemus, qui de Urbibus ex profeſſo ſcribit Stephanum Bizantinum : ille hæc habet pag.61 in græca editione Manutii : Ἔστι Τυῤῥηνία πόλις, ἣ λέγεται καὶ Τυῤῥηνὴ, καὶ οἱ Τυῤῥηνοὶ οἱ πολῖται. 1 *Eſt Etruria, ſeu Tuſcania Civitas, quæ dicitur & Turrhena*, additque *Cives Tuſcanos, ſeu Etruſcos dictos*. Eam inter Sutrium, & Volſinios, inter Tarquinienſes, & Faliſcos extitiſſe Scriptorum auctoritate, antiquis inſcriptionibus præſertim Capitolinis non probabili ſolum argumentatione, ſed neceſſaria mathematicorum ratione concluſimus : Nam cum referant Victorias ex Faliſcis, aliiſque finitimis Urbibus; ex Etruſceis inter alia Anno V.C. CDLXXII triumphatum recenſent, & anno inſequenti ex Vulſinienſibus. Verum quia omnia hæc Tuſcanellenſes ad ſuæ Patriæ laudem, atque antiquitatem aſſerendam propter vicinitatem facile pertrahunt, ſeſeque Tuſcanienſes, atque Etruſcos cum ſuo Jannotto in MSS. magnifice jactitant; qui parte 2 p.47 hos verſus refert ex Palatio communi deſcriptos

Saleumbrona olim, Tyrrhenia, Etruria dicta,
Tuſcia, Tuſcana, vix Tuſcanella vocor nunc;

nos

nos non ſolum evicimus Tuſcaniam ad Cajarum Aquas Calidas ex Tibullo, & Strabone, atque in ipſa Via Caſſia ex M. Tullio, inque jugis Ciminiis ex Virgilio, ubi Lydia Gens conſedit cum Turrheno, qui Torebus, & Terbus dictus fuit; ſed præterea ad veritatem oſtendimus Tuſcanellum adeo non eſſe antiquam Tuſcaniam, ſeu Etruriam, ut multo poſt Chriſtum natum nondum fuerit ædificatum. Livius enim, Vitruvius, & Plinius Tarquinienſem Agrum ad Lacum Vulſinienſem pertinentem fuiſſe teſtantur, ut capite quinto demonſtravimus: Tarquinienſis Urbs, ubi nunc locus Tarquinia dicitur, extitit, ibique veſtigia certiſſima videntur, quod notavit etiam Franciſcus Jannottus par. 2 p. 47. Et ſi Cluverius in hujus agri meditullio ex Plinii libro tertio collocat Tuſcanienſes, quos Tuſcanellum eſſe credebat, licet non juſtam, aliquam tamen habet excuſationem: Tuſcaniam enim Urbem principem eſſe non poſuit, quod nos cum adverſariis aſſerimus. Urbs minor, ſeu ſubdita in agro alieno eſſe poteſt, Metropolis nullo modo ſtare poteſt.

Nec deſunt alia ad hoc probandum argumenta. Quum Q. Fabius Maximus Etruſcos ex Sutrio, quæ Colonia Romanorum erat, expuliſſet, noſtri victi, ac palati domum ſe receperunt: Tum de Cimini tranſitu deliberatum eſt: & quamvis Roma ipſa trepidaret, atque hoc nimis audax, ac periculoſum eſſe intelligeret; Conſul Fabius præmiſſis exploratoribus paucis poſt diebus per ipſum Montem, unde contemplatus eſt Etruriæ arva, ut ait Livius libro nono, ſupra caput no-

ſtrorum militum ex improviſo adſtitit, & magna cæde affecit. Pauca Flori verba libro primo Capite decimoſeptimo & totam hanc narrationem, & Tuſcaniæ noſtræ ſitum ob oculos ponunt: *Erat terror ingens: à latere Etruria infeſta, Ciminius Saltus in medio.* A Sutrio vero per montem eundem Viam Ciminiam fuiſſe munitam Vibius Sequeſter, & veteres inſcriptiones teſtes ſunt: Auximi

LEGATO PROVINCIÆ BÆTICÆ CVR. VIAR
CLODIÆ ANNIÆ CASSIÆ CIMINÆ

de qua Panvinius in Reip. Ro. Commentariis apud Valgriſium p.72; & Hadrianus Cardinalis in Itinere Julii Secundi.... *per Cimini Montemque, Lacumque*

Tendimus inſignem per Balnea multa Viterbum. Neque enim verum eſt à Paulo III fuiſſe munitam, ſed longo ævo depravata fuit reſtituta, ut teſtatur elegantiſſimus M. Antonius Flaminius in Epigrammatis. Reſpondeant modo adverſarii: Si Tuſcania, ſeu Etruſcorum Urbs Princeps, ubi nunc Tuſcanellum eſt, extitiſſet, nonne ſummæ ſtoliditatis fuiſſet Romanos Ciminiam Silvam tentare, quæ illis temporibus par Hercyniæ, ac Calydoniæ credebatur, quum à Sutrio brevius, ac planius Tuſcanellum verſus iter eſſet? Quorſum vero per eas arduas rupes via publica ſtrata fuiſſet, quæ Viterbum permeat, & paullo poſt in Caſſiam revertitur, ſi nulla Urbs, ubi noſtra eſt, tunc ſtetiſſet? Quo pacto Etruriam inter, & Ro: exercitum, qui erat prope Sutrium

trium; Ciminum Montem interiectum eſſe Florus dixiſſet? Hæc adeo certa ſunt, ut oculis, pedibuſque uſurpentur: Scriptores noſtris antiquitatibus, atque Annio infenſiores concedunt tamen ex Propertio, ubi Viterbum eſt, fuiſſe Fanum Volturnæ, quod evincit etiam pars noſtræ Urbis, quæ Volturna dicitur, ubi Vetuſtiſſimum Muſivum opus inventum eſt, & Templum S. Mariæ in Volturna in antiquis inſtrumentis memoratum: At quis neſcit Volturnam Deum Etruriæ à Varrone appellari? Prætereo Tuſcum, Turrhenum, & Terbum etiam dictum, à quo Tuſcania, & Beterbum nomen habet, Herculis fuiſſe filium, ut Se. Pompejus teſtatur, aliique, & apud nos non ſolum Caſtellum Herculis, ut ipſe Jannottus Tuſcanellenſis ſæpe appellat, verum etiam ejuſdem fanum ex Hiſtoria SS. Martyrum Valentini, atque Hilarii, aliiſque monumentis extitiſſe.

Neque quiſquam opinetur Etruriam apud nos ab antiquo fuiſſe: poſtea tamen his bellis deletam neque nomen, neque amplitudinem Urbis retinuiſſe. Nam poſt Chriſtum natum non modo Plinius, verum etiam Maximianus Poeta, & Symmachus meminerunt. Scribonius Largus, & Marcellus Burdigalenſis antiqui Medici referunt Prætorem, qui in Tuſcis jura reddebat ad quinquageſimum lapidem juxta breviorem antiquorum menſuram, & ad Aquas Calidas fuiſſe demonſtrant: Rutilius Numatianus idem teſtatur, qui Decium apud nos fuiſſe Rectorem canit in Lydia, & inter Turrigenas, & Coriti populos, quos non ſolum à Flaminiæ

regi-

regimine, ſed etiam à Tuſcia Annonaria diſtinguit. Præterea ſunt duæ inſcriptiones, quæ Prætorem Etruriæ XV Populorum commemorant apud Manutium, & Reineſium: quæ eſt iſta Etruria quindecim populorum, niſi noſtra Civitas, in qua Prætor, ſeu Rector jus dicebat, & Tuſcaniæ tractum, Axium, Cortnoſſam, Tudernum, Amœrim, Florentiam, Troſſulum, Arcem Iti, aliaque oppida gubernabat? Rident quidam, quum audiunt hæc, præſertim quum legunt Volturnam, Vetuloniam, Longulam, Arbanum noſtram Metropolim compoſuiſſe: Dionyſius tamen Halicarnaſſeus libro primo de occiduo latere Italiæ ſcribens antiquis fuiſſe morem plures Urbes contiguas ædificandi notat πόλεις μικρὰς καὶ συνεχεῖς: Strabo libro quinto inter Volſinium, & Sutrium, Bleram, & Ferentum πολύχνια συχνὰ Urbes parvas, & vicinas extitiſſe refert: Eruditiſſimi homines veteres Metropoles ad hunc modum fuiſſe ædificatas teſtantur, dum ipſi rident. Extant acta SS. Martyrum Valentini, & Hilarii, Demetrii, atque Eudoxiæ, quæ ſub noſtris Præſidibus illos damnatos perhibent, ut prætercam Deſiderii Decretum, quod veriſſimum eſſe æque Borghinii, Cluverii, aliorumque conatus irriti, atque ipſi Characteres teſtantur, ut obſervavit Fabrettus, atque Holſtenius, qui illius mentionem CCC annis ante Annium reperiri confirmant. Quare ſi Tuſcaniam quædam tabulæ ubi Tuſcanellum eſt ponunt, profecto operam ludunt, & novitium ſcriptorem præſeferunt: eædem Vejos in Via Caſſia, & Falerios in Amerina deſcribunt, quum certum ſit illas antiquas Urbes

Urbes ibi non extitiſſe, & loca deſcripta ruſticorum quemdam potius conventum fuiſſe, ut ex Strabone adnotavit Nardinus Senior de Antiq. Vei. in fine: ſicut Cæretani, & Centumcellenſes aliud Cære, & alias Centumcellas condiderunt. Verum enim vero Deſiderii edicto Tuſcaniæ, ſeu Etruriæ vox in Viterbum ex antiquo tamen Betterbo eſt commutata, quod erat noſtri Caſtelli nomen à Turrheno, ſeu Terbo derivatum: Ideo in Vita S. Hadriani Pontificis apud Anaſtaſium ante Annum milleſimum vulgata è Civitate Viterbienſi Deſiderius fugiſſe narratur, & Grimoaldum Præfectum Viterbienſem in noſtræ Urbis monumentis legimus, quum paullo ante apud eundem Anaſtaſium Ramingum Tuſcanienſem Gaſtaldum, ſeu quæſtorem ſcriptum videamus: qui juſſu Langobardorum Regis Pontificem Summum Zachariam Bleram comitatus eſt. Non multo poſt in aquæ ductu Fontis Sipalis cognomento Magni ad Collem Quintianum Conſules noſtræ Civitatis legimus juxta morem tempeſtatis illius, quem notavit Sigonius de Regibus Italiæ non uno in loco.

MVMIVS NIGER
VALERIVS VICHIVS CONSV
LES CIVITATIS VITERBI
AQUAM COLLIS QUINTIANI
. . . . . DCCCCLI

Viterbum etiam Civitatem appellat Otho tertius ante annum milleſimum, & paulo poſt Conradus I Imperator,

tor, ut videbimus in diplomatibus ex Reg. Farfenſi: Extat ad portam Sonſam, ſeu Suſam privilegium pulcherrimum noſtræ urbi ſub Paſcale Papa ab Henrico Imperatore conceſſum, quod dictavit Gotifredus, & in marmore exarandum curavit *ex Conſulum Decreto*. Extant Litteræ Chriſtiani Archiepiſcopi Moguntini, & Legati Imperatorii Anno CIↃCLXXII, ubi concedit nobis Vexillum cum Palma *propter plurima, & honeſtiſſima Viterbienſium Conſulum, & totius populi ſervitia*, & in aliis Anni CIↃCLXXIV agit de portu Montis Alti, aliiſque oppidis noſtræ Civitatis. Neque dicant ab Imperatoribus, aliiſque Principibus Civitatem appellatam, at non à Summis Pontificibus: nam Benedictus Papa VIII, ut habetur ex Chronico Farfen. par.2 to.2 edit. Clar. Muratorii pag.492 Civitatem appellat, ut mox videbimus. Quare non ſolum ante Cæleſtinum tertium Civitatis nomen habebat, & Regum, Imperatorum, ac Pontificum Sedes extitit; ſed etiam circa Chriſti tempora, & multis ſæculis ante totius Provinciæ Concilium, ac Metropolis fuit, Prætoreſque habuit, qui ſua Oppida regebant.

Verum jam ad id, quod ſecundo loco propoſitum fuerat, per ſe delapſus eſt ſermo: nam ea, quæ diximus, Viterbum non ſolum Civitatis iure ornatum fuiſſe, ſed etiam pontificali Cathedra fuiſſe decoratum, etſi alia argumenta deeſſent, clariſſime demonſtrant; Namque ut omittamus S. Anacletum in Cap. *Provincias* diſt.IC, certum eſt in iis urbibus, in quibus Præſides erant Epiſcopos fuiſſe conſtitutos, id que adeo verum eſt, ut pro di-

dignitate politici regiminis Eccleſiaſticus honor Urbibus haberetur: ut Cabaſſutius comprobat in Notitia Eccleſ: pag. 47, & Em: Noriſius de Synodo V Capite X, aliique. In ampliſſima igitur Civitate Tuſcaniæ, ſeu Etruriæ, ubi prætor erat, Pontificalem Sedem fuiſſe nemo non videt: quare ſi Tuſcanienſis Epiſcopus tempore B. Petri Ap. in veteribus monumentis invenitur, ut ipſi Tuſcanellenſes profitentur, quis dubitet noſtratem fuiſſe, quum Tuſcanellum eo tempore nondum ædificatum fuerit, ut luce clarius demonſtravimus? At adverſarii non ſolum ab initio naſcentis Eccleſiæ nos Epiſcopum habuiſſe negant, verum etiam multo poſt annum milleſimum, à Cæleſtino Tertio tantum nobis conceſſum fuiſſe contendunt, & cum Tuſcanellenſi conjunctum: Sic enim teſtatur Innocentius III libro x Epiſtolarum.

„ Clero, & Populo Viterbienſi.

„ EX privilegio Fel. Mem. C. Papæ III prædeceſ-
„ ſoris noſtri cognovimus evidenter, quod ipſe fi-
„ dem, & devotionem veſtram attendens de commu-
„ ni Fratrum Suorum Conſilio Viterbienſe oppidum
„ honorabile Civitatis nomine inſignivit, & Pontificalis
„ Cathedræ honore decoravit: auctoritate ſtatuens Apoſto-
„ lica, ut Viterbienſis Eccleſia cum Tuſcanenſi, Centumcel-
„ lenſi, atque Bledenſi Pontificalem deinceps obtineret di-
„ gnitatem. Nos autem, qui fidem, & devotionem ve-
„ ſtram ipſa præſentia corporali certius ſumus experti

 be-

„ beneficium principale plenius interpretari volentes il-
„ lam Viterbienſi Sedi erga Centumcellenſem, & Ble-
„ danenſem Diœceſes honorificentiam confirmamus,
„ quam circa ipſas Tuſcanenſis Sedes dignoſcitur ha-
„ ctenus habuiſſe, cui Viterbienſis Eccleſia ſpecialiter
„ eſt unita: ſtatu tamen illarum Sedium Centumcellen-
„ ſis videlicet, & Bledanenſis in ſuo jure permanente.
„ Dat. Viterbi IV Idus Octobris An: X.

Jam diu hanc Innocentii Epiſtolam ego legeram, immo cum ab Ill: Canonico Scaliono Romæ accepiſſem Viterbum detuli, ut ad Tuſcanellenſem Primicerium tranſmitterem: Sed neque tunc etſi parectatum à ſententia, quam tueor, me deterruit: Sciebam enim Cæleſtini unionem, ut ajunt, nuſquam inveniri: Sciebam legi litteris ingentibus in Templo Tuſcanelli Riccardum Epiſcopum non ſolum Tuſcanum, verum etiam Centumcellicum, atque Bledanum centum annis ante, qui etiam Viterbienſis ſcriptus reperitur. Ac de hoc diplomate ſtatim mecum ipſe tacitus:

Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros;
Aut aliquis latet error ....

Idem de Leonis IV Privilegio ſentiebam, quod paullo poſt eandem Innocentii Epiſtolam refertur apud Baluzium to: 2. Epiſtol: Innoc. p. 80. editionis Pariſ. 1682.

Cle-

„ Clero, & Pop. Tuſcanen:

Ep. 142.

„ IUſtis petentium &c. Privilegium Fel. Mem. Leo-
„ nis IV Papæ Prædeceſſoris noſtri Virobono quon-
„ dam Epiſcopo Tuſcanenſi conceſſum, ne vetuſtate
„ conſumptum valeat deperire præſenti pagina de Ver-
„ bo ad Verbum juſſimus adnotari, cujus tenor eſt ta-
„ lis - Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei Ven: Fra:
„ Virobono Tuſcanenſi Epiſcopo, ejuſque Succeſſoribus
„ in perpetuum. Convenit Apoſtol: Moderamini pia
„ religione pollentibus benivola compaſſione ſuccurre-
„ re, & poſcentium animis alacri devotione impertire
„ aſſenſum, ut ex hoc divina nobis remuneratio ad-
„ ſcribatur: Ideoque quia tua Fraternitas humiliter po-
„ ſtulavit à nobis, quatinus Epiſcopium S. Tuſcanenſis
„ Eccleſiæ cum plebibus Eccleſiis, Cappellis, Fundis,
„ Caſalibus, Maſſis, Villis, Terris, Vineis, Curtibus,
„ & Silvis, vel omnibus, quæ ſunt in dominio ejuſdem
„ Epiſcopii, tibi, tuiſque ſucceſſoribus confirmaremus,
„ atque corroboraremus in perpetuum ſecundum jura
„ prædeceſſorum tuorum, inclinati præcibus tuis per hujus
„ præcepti Seriem præfatum Epiſcopatum Tuſcanenſem
„ confirmamus, atque corroboramus tibi cum omnibus
„ ſibi pertinentibus: videlicet in eamdem Civitatem, quæ
„ Tuſcana vocatur, in giro, & in circuitu Epiſcopii,
„ ſive per totam ipſam Civitatem Curtes cum domibus,

 „ plu-

„ plurimiſque Caſalinis, quemadmodum tuæ retines
„ poteſtati, atque Eccleſiam S. Quirici cum domibus,
„ & cellis, in circuitu ſuo, & à foris eandem Civi-
„ tatem vineis, terris, fundis, caſalibus, molendinis,
„ ubicumque eidem Eccleſiæ competunt, vel compe-
„ tere poſſunt: confirmamus etiam tibi in eadem Civi-
„ tate Eccleſiam S. Dei Genitricis, ſemperque Virgi-
„ nis Mariæ Dominæ noſtræ, quæ olim Caput Epiſco-
„ pii extitit, & nunc plebs facta eſt cum omnibus cel-
„ lis, vineis, pratis, ſilvis, atque mercatum uſque in
„ portam ejuſdem Civitatis cum omnibus ei pertinen-
„ tibus videlicet caſis, & hortis, & cum omni ſua con-
„ venientia. Montem S. Hermetis cum domibus, &
„ hortis, Eccleſiam S. Michaelis Archangeli juxta flu-
„ vium Maſclam cum fundis, & Caſalibus ſuis terris,
„ & hortis, & ſilvis cum angaralibus, & tributariis
„ ſuis: Eccleſiam S. Chriſtinæ cum ſilvis caſalibus,
„ pratis, & vineis: Fundum qui vocatur Caſanavula,
„ & cum ponticulo, & rivo S. Pauli: Fundum An-
„ caranulam, vel ſi quis aliis vocabulis nuncupatur cum
„ omni eorum pertinentia, vel adjacentia pariter, &
„ duorum fundorum, qui vocantur Octiganum Algo-
„ rum cum omni integritate ſua, & fundum, qui di-
„ citur Attevile cum ſua convenientia ſicuti tranſit longe
„ lateque uſque ad Cavam Gundimarii, Eccleſiam San-
„ ctæ Chriſtinæ in valle, & Eccleſiam S. Reſtitutæ, quæ
„ ſunt juxta fluvium Martam cum omnibus eorum
„ pertinentiis: immo & fundum, qui vocatur planum
„ de Mola cum terris cultis, & incultis, & cum omni-

„ bus

„ bus ei pertinentibus : in fluvio Maſclæ aquimulos „ ſex , & in fluvio Marta tres cum omni convenien„ tia . In fundo , qui vocatur Fontana Guaralda hortos „ quindecim : Montem, qui vocatur vinea Montana cum „ plagis , & appenditiis ſuiis Montaſchinum , Montem „ tremitum , Solonianum , vallem Ingonis cum Vineis „ terris , & omnibus eorum pertinentiis , Maſſaritiis , „ tributariis , ſive Angaralibus ibidem reſidentibus , fun„ dum Petrelle , fundum Muratula , Vallem de Corne„ to, fundum, qui vocatur doliolum , fundum Marilian , „ fundum, qui dicitur Mola : Vallem quæ dicitur de „ de Naſſo , Montem Supponis cum terris , pratis , ſil„ vis , Vineis , hortis , paludibus , & pantanis , atque „ perennibus ædificiis parietinis , attiguis , adjunctis , „ adiacentibuſque eorum , vel cum omnibus eorum perti„ nentiis : Vallem de Vico cum vineis , & terris , fun„ dum Sarnanum cum Eccleſia S. Rufinæ , & fundum „ Malvanum , pariterque Cavam Scameratam , & Ca„ vam Caprilem cum omnibus eorum pertinentiis: vil„ lam , quæ vocatur Peturanum cum Eccleſia S. Ange„ li infra ſe , & terris incenſariis quoque , ac tributa„ riis ibidem reſidentibus , vel cum omnibus ejus per„ tinentiis . Item & plebem S. Martini , quæ eſt ſupra „ Sutrium cum vineis , terris , Silvis , Maſſaritiis , & „ tributariis ibidem commorantibus , vel cum omni„ bus ejus pertinentiis ; Fundum , qui dicitur Capece„ lo, fundum Tuſcignanum , fundum Landenam, fundum „ Cajolum, vallem Guidonis, longe, lateque uſque ad ri„ pam:fundumPetella.fundum,qui dicitur Cartafago cum

„ vinei

„ vineis, terris, & ſilvis ſicut extenditur uſque ad fluvium Martam, ſcilicet uſque ad vadum Prandonis. Confirmamus etiam tibi, tuiſque Succeſſoribus plebem S. Andreæ in foro, & Plebem S. Martini in Columnate, & plebem S. Heraſmi ſecus littus Maris juxta Montem Altum cum domibus Cellis, ſeu Curtibus, fundis, & Caſalibus eorum quorumcumque vocabulis nuncupentur, famulis, & famulabus ibidem reſidentibus, & in tuo ſervitio, & ditione permanentibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Simulque, & plebem S. Sebaſtiani in Arenula cum duobus fundis vid. Storatianum, & Fabritianum. Fundum, qui vocatur Cavonis, fundum Ruginorula, fundum Carvaliolum, fundum Corgitellum, fundum Morazzanum, nec non & fundum Formellę. Omnia vero cum finibus, terminis, limitibus eorum, terris, campis, pratis, ſilvis vineis, domibus, curtibus, maſſaritiis, incenſariis, tributariis ibidem reſidentibus, & cum omnibus ejs adiacentibus, vel pertinentibus. In finibus vero Maritimæ, territorio Corgnetanenſi fundum, qui vocatur Poppelupoli inde inde cum terris cultis, & incultis, qui eſt ſecus fluvium Martam, & cum omnibus ejus pertinentiis. Item & fundum, qui vocatur poppe S. Mariæ cum terris cultis, & incultis, plagiis quoque, & appenditiis ſuis, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Atque poppe juxta Valdimandiam, & terras S. Stephani cum omni eorum convenientia fundum, qui vocatur Turre ranzanula cum integritate ſua. Plebem S. Mariæ, quæ poſita eſt in Tarqui-

„ no cum vineis, terris, pratis, & cum omnibus ſuis
„ pertinenentiis. In Ancarana fundos quatuor videli-
„ cet Montem Vulpium, Buttem, & Saccali cum pop-
„ pis eorum ex utraque parte fluvii Martæ, & cum
„ omnibus eorum convenientiis: Fundum, qui vocatur
„ Fultona inde inde cum omnibus ſuis pertinentiis: Porro
„ confirmamus tibi, tuoque Epiſcopio infra Civitatem,
„ quæ vocatur Orcle, videlicet plebem S. Petri cum
„ duabus Eccleſiis S. Johannis, & S. Angeli, cum cur-
„ tibus, domibus in eadem Civitate, & à foris Civitatem
„ terris, vineis, hortis, campis, pratis, ſilvis, rivis
„ molendinis, aquarumque decurſibus, vel cum omnibus,
„ ſibi pertinentibus, immo & caſalem S. Petri, & Eccleſiam
„ S. Angeli ad Petram Fictam cum vineis terris, & omnibus
„ eorum convenientiis, pariterque Eccleſiam S. Seba-
„ ſtiani cum fundis, & caſalibus ſuis, & omni ſua
„ convenientia. Simili modo concedimus, & confir-
„ mamus tibi Kariſſime frater Virbone Maſſam, quæ
„ nuncupatur Campi cum Eccleſia S. Mariæ infra ſe,
„ & fundum, qui vocatur Cavi Majore, & alium,
„ qui vocatur minore cum terris, vineis, maſſaritiis,
„ angarialibus, tributariis, incenſariis & cum omni
„ datione, & perſolutione, quam tuis anteceſſoribus
„ ſoliti ſunt perſolvere, & cum omnibius ejus perti-
„ nentiis. Præterea inde Medietatem de Maſſa, quæ
„ vocatur Forum Caſſii cum vineis, terris, ſilvis, fun-
„ dis, Caſalibus Curtibus domibus, famulis, & famulabus,
„ & omnibus ſuis pertinentiis. Pari modo & Maſſam
„ quæ vocatur Mazzahum inde inde cum plebe Sancti

„ Ste-

„ Stephani cum Vineis, terris, ſeu familiis, & cum ſua
„ omni convenientia, atque trium unciarum, ex altera me-
„ dietate ſuprascriptæ Maſſæ Fori Caſſii cum famulis,
„ & famulabus ſuis, ſeu Caſalibus, ſilvis domibus cur-
„ tibus, & hortis videlicet, & horum fundorum Maſ-
„ ſam Lutiam, Ciſoranum, Attevile, Sipizanum, Ca-
„ ſale, Paſtorinianam, Fragianum, Vallem Petracii,
„ Furculæ Epiſcopii, Gemulo, Peculiare, Paparanum,
„ Fornillum, Carnarum, Calianum, Planum de Lu-
„ po, & aliud planum, Criptam Moraldi, Cajolum,
„ Reſtrictum, Vilianellum Monachorum, Menorellam,
„ Fonticella. Vallem de puzzu, Montem Maurum cum
„ omnibus eorum adjacentiis, vel pertinentiis, at-
„ que colonis, & colonabus ibi reſidentibus. Curtem
„ S. Laurentii, quæ nuncupatur Synodochium, Cataaſim
„ cum fundis, Caſalibus ſuis, vineis quoque terris,
„ ſervis, ancillis, maſſaritiis, tributariis, & cum ſuis
„ omnibus pertinentiis. Infra Caſtrum, quod dicitur Vit-
„ terbium plebem S. Laurentii cum Eccleſia S. Michae-
„ lis Arch: cum domibus, Curtibus infra ipſum Ca-
„ ſtellum, & à foris, fundis, caſalibus, terris, vineis, hortis
„ aquimolis, rivis, campis, pratis, ſilvis, & omni
„ eorum pertinentia. Enim vero per prædia ipſius Ca-
„ ſtri Viterbii plebem S. Petri in vico Palenſano cum
„ ſuis Eccleſiis SS. Ilarii, & Valentini: Plebem S. An-
„ dreæ in Campo cum Eccleſia S. Abundii, Eccieſiam
„ S. Luciæ in ſolo cocto. Omnes vero cum fundis, &
„ Caſalibus, terris, vineis, pratis, ſilvis, domibns,
„ curtibus, & hortis, famulis, & famulabus, ibidem
reſi-

„ reſidentibus, maſſaritiis, tributariis, & incenſariis,
„ angarialibuſque eorum, & cum eorum convenien-
„ tiis, ſimulque decem, & novem fundorum videl.
„ Quinzanum, Cardoni, Pollejanum, Latrinulam, Ma-
„ ternum, Vallem Folianenſem, Antonianum, Lucia-
„ num, Silianum, Avenule, Meſſurianum, Cavoni
„ curtem de Folianellis, cavam de Sonſa, Vicum Re-
„ nai, Oceani, Paſtrinianum, Stratilianum, Vicum
„ Orazanum cum domibus, curtibus, hortis, fundis,
„ Caſalibus, vineis, terris, campis, pratis, ſilvis, at-
„ tiguis, adjunctis, adjacentibuſque eorum cum omni-
„ bus eorum convenientiis, tributariis, Angarialibus, &
„ incenſariis ſuis: Plebem S. Donati, qui vocatur.....
„ cum fundis Caſalibus ſuis videlicet Cortonula, Car-
„ doni, Montem Averſo, Reciſam, Novelleram, val-
„ lem Reginam cum omnibus eorum pertinentiis: Ple-
„ bem S. Laurentii in palmule cum Eccleſia S. Luciæ,
„ & S. Euticii cum villis, fundis, Caſalibus, domibus
„ curtibus, hortis, olivetis, & fundum, qui vocatur
„ Alzanum, & Tucinam cum terris, campis, pratis,
„ paſcuis, ſilvis, famulis & famulabus inibi permanenti-
„ bus, & cum omni jure, & ditione eorum. Immo &
„ curtem S. Salvatoris, quæ ſtat juxta lacum Bulſini
„ in Territorio Martano cum terris, ſilvis, vineis fun-
„ dis, Caſalibus, & cum piſcatione laci ipſius, quan-
„ tum reſidentes ipſius curtis poſſunt piſcari ſicut tui
„ anteceſſores obtinuerunt. Certiſſime igitur confirma-
„ mus, & modis omnibus corroboramus tibi dilecte,
„ & amabilis frater Virbone Epiſcope, tuiſque poſteris

„ Epiſcopis tuo in Epiſcopio ſuccedentibus plebem S. Pe-
„ tri in vico Pergulata ſecus ſupraſcriptum lacum cum
„ omnibus Eccleſiis, fundis, & caſalibus ſuis videlicet
„ Eccleſiam S. Mariæ in Rumiliano, Eccleſiam S. Agnes,
„ Eccleſiam Sancti Pancratii in Nucerino, Eccleſiam San-
„ cti Andreæ in Campo, Eccleſiam S. Mariæ, ubi cor-
„ pus B: Flaviani Martyris requieſcit cum Caſale, &
„ Burgo ſuo in circuitu, & giro ejus una cum omni
„ eorum adiacentia, vel pertinentiis, videlicet domibus,
„ curtibus, hortis, terris, vineis, fundis, caſalibus,
„ campis, pratis, paſcuis, ſilvis, caſtanetis, montibus,
„ collibus, plagiis, planitiis cum inceſſariis, tributariis,
„ & angarialibus eorum, vel cum omnibus eorum ju-
„ re pertinentibus: Itemque & fundorum horum Valle n
„ Epiſcopii Montis Flaſconis inde inde, vallem S. Lu-
„ ciæ, vallem Oriani, & Zuzzanum, planum rotundum
„ cum omnibus eorum adjacentia, & pertinentiis: inſu-
„ per terris, vineis, quæ rejacere videntur à Capite
„ Burgi ſupraſcriptæ S. Mariæ ad Viam Tuſcanæ: de-
„ nique & vicum, qui cognominatur Quarantianum
„ inde inde cum Eccleſiis, Curtibus, domibus quoque,
„ & Criptis, multiſque familiis, & cum omnibus ſuis
„ pertinentiis. Infra lacum nominatum, qui vocatur
„ Bulſinus inſulam, quæ cognominatur Martana cum
„ Monaſterio S. Stephani, & cum eorum pertinentiis:
„ Plebem S. Andreæ ſecus fluvium Martæ cum ſui Ec-
„ cleſiis S. Viti, S. Johannis, Sanctique Laurentii cum
„ caſis, curtibus, hortis, vineis, fundis, caſalibus, mo-
„ lendinis, piſcariis, cannariis, & medietatem de ipſo
flu-

„ fluvio ad molendinos rigandos in multis locis una cum
„ colonis, & colonabus ibidem reſidentibus, vel omni-
„ bus ejus pertinentiis. Simulque & horum fundorum
„ videlicet Cajolum, Vallicellas, Silvabubula, planum
„ de fontana, Mergonem, Metaram, Cazzanum, Me-
„ tianum, planum S. Viti, Montem S. Andreæ, & Ca-
„ tillianum una cum omnibus eorum adjacentiis, vel
„ pertinentiis, terris campis, pratis, vineis, ſilvis, ca-
„ ſis, curtibus, ſervis, & ancillis maſſaritiis, tributariis
„ ibidem commotantibus: Maſſam quæ dicitur ..... cum
„ plebe S. Johannis infra ſe, quæ eſt ſupra fluvium
„ Mart. cum vineis terris, fundis, caſalibus, atque
„ angarialibus ſuis, & incenſariis cum ſuis convenien-
„ tiis: Maſſam quæ vocatur Marianum cum plebe San.
„ Johannis, eorumque fundorum ſcilicet Rizzolanum,
„ pratum poppelupoli, Cajum, Flajanum, Finianum,
„ Sclappanum, pratum longum, & Stonum cum domi-
„ bus, curtibus, terris, hortis, campis pratis, ſilvis,
„ maſſaritiis, & tributariis, vel cum omni eorum per-
„ tinentia: Atque fundum, qui vocatur Amitinum cum
„ caſis, curtibus, Eccleſiis, domibus, terris, vineis,
„ caſalibus, & cum omni eorum competentia, una cum
„ famulis, & famulabus ibidem reſidentibus. Fundum
„ qui dicitur campus de Pinis cum plebe S. ..... juxta la-
„ cum cum terris, vineis, & ſua pertinentia: Maſſam quæ
„ cognominantur Olenzana cum Eccleſiis S. Mariæ, S.Io-
„ hannis, & S.Felicis cum fundis, & caſalibus eorum, & cum
„ omni eorum pertinentia, necnon & Eccleſiam Sancti
„ Caſſiani cum curte S. Ambroſii, qui poſitus eſt in-

 „ feru-

„ ferulero cum fundis, & Caſalibus eorum, terris, cam-
„ pis, pratis, vineis, hortis, ſilvis, colonis, colona-
„ buſque ibidem reſidentibus, & cum omnibus eorum
„ pertinentibus. Fundum qui vocatur Septinianum cum
„ omni ſua pertinentia: In territorio Caſtrenſi fundorum
„ duorum ſcilicet Amponianum, & Aſtronianum cum
„ eorum convenientiis: In ſala trium fundorum Vico-
„ valle, Paternum, & Tulizzanum cum domibus curtibus,
„ vineis, terris, campis, pratis, paſcuis, & omnibus
„ eorum pertinentiis, atque plebem S. Laurentii, quæ,
„ nuncupatur Intrintilianum cum fundis, & caſalibus,
„ & ſuis omnibus pertinentiis: Maſſam quæ cognomi-
„ natur Soranum cum fundis, & caſalibus, & omni
„ integritate ſua. Confirmamus etiam tibi, & corro-
„ boramus amantiſſime Frater tuum Epiſcopatum Tu-
„ ſcanenſem cum terris, omnibus Eccleſiis, & Mona-
„ ſteriis, quorum infra ſubſcriptos fines eſſe videntur,
„ & in futuro conſtruentur tam per Urbes, & Caſtella,
„ quam etiam per diverſa oppida, Maſſas, Burgos,
„ & villas cum diſtrictione omnium Eccleſiarum, & Ve-
„ nerabilium Locorum, Presbyterorum, & Monacho-
„ rum, quatenus per te tueantur, & ſecundum SS. Pa-
„ trum Canones defenſentur & ordinentur. Incipientii-
„ bus vero à finibus tui Epiſcopatus ſcilicet à Mat-
„ Magno, & inde per fluvium Minionem ſicuti recte
„ extenditur in Cripta S. Pancratii, & in pedem Leu-
„ prandii, qui eſt inter territorium Orclanum, & Ble-
„ danum, & recte pergit ad cavam Fardegnam, & in-
„ de tranſit ad Buttem aquæ ductus, quæ eſt inſtrau-
ta

„ ta B. Petri Apoſtoli , & inde pergit in cacumine
„ Montis, qui dicitur Folianum, & ſicut vadit via per
„ ipſum Montem in Civitellis, & venit in Staphile, qui
„ dividit inter Ortem, & Comitatum Viterbienſem, &
„ ſicut venit in locum planculæ, & vadit inter Terri-
„ torium Viterbienſe, & Polimartienſe, & deinde per-
„ git uſque ad Petram fictam, & inde venit adrivum,
„ qui vocatur Arlinus ad Mauſileum, & deinde vadit San-
„ guinarium, & pergit ad rivum, per lacum ad Mauſileum,
„ quod eſt in campo Roſano, & deinde venit per Eccleſiam
„ S. Maximi, & deinde venit in S. Bartholomæum, qui po-
„ ſitus eſt in Marſuano , & deinde venit in Septinianum, &
„ ab inde in Muſileum Caninum, & inde pergit in Ca-
„ neſtraſi, & ſicuti intrat in Tamone , & ipſe Tamo
„ intrat in Armine, & ſic currit in Mare . Infra quos
„ fines ſunt plebes ſupraſcriptæ Monaſteria, Civitates,
„ Caſtella, hæreditates, & territoria diverſa, & ſi quid
„ aliud inter hos fines concluditur, quod ad ipſum tuum
„ Epiſcopatum aliquo modo poſſit pertinere á præſenti
„ quinta indictione tibi, tuiſque ſucceſſoribus in perpe-
„ tuum confirmamus, & corroboramus facientes Apo-
„ ſtolica cenſura ſub Divinii Judicii atteſtatione , &
„ anathematis interdictu, ut nullus unquam præſumat
„ cujuſcumque ſit dignitatis præditus poteſtate, vel etiam
„ quæcumque magna, paruaque perſona ex omnibus,
„ quæ ſuperius leguntur quoquo modo auferre a tuo
„ Epiſcopio, atque contrarietatem facere . Si quis autem,
„ quod non optamus, nefario auſu tentaverit iis, quæ
„ à nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti tui

Epi-

„ Epiſcopatus ſtatuta ſunt, refragari, aut in quocumque
„ tranſgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum,
„ & cum diabolo, & ejus atrociſſimis pompis, atque
„ Juda traditore D. N. Jeſu Chriſti æterni incendii ſup-
„ plicio concremandum. At vero qui pio intuitu obſer-
„ vator, & in omnibus extiterit cuſtodiens hujus no-
„ ſtri Apoſtolici Conſtituti ad Cultum Dei reſpicientis,
„ benedictionis gratiam à miſericordiſſimo Domino
„ Deo noſtro multipliciter conſequatur, & vitæ æter-
„ næ particeps effici mereatur. Scriptum per manus
„ Nicolai Notarii, atque regionarii, & ſcriniarii S. No-
„ ſtræ Romanæ Eccleſiæ Men. Februarii Indic: V Be-
„ nevalete Dat. VIII Kal. Mart. per manum Leonis
„ Primicerii Summæ Apoſtolicæ Sedis Anno Deo propitio
„ Pontificatus noſtri Domini Leonis Papæ IV in Sacratiſ.
„ Sede B. Petri Apoſtoli Sexto Menſe, & Indict. Su-
„ pracripta V: Dat. Corneti IV Kal. Nov. Anno X.

Creſcebat mihi in dies ſuſpicio maxime cum viderentur hae litteræ ſibi ipſis adverſari, non modo quia Viterbum deſcribi videtur ut Caſtrum Tuſcanienſis diœceſeos, cumque illa poſtea conjunctum; verum etiam quia tota honorificentia, ut ajunt, Viterbienſi Sedi fuit confirmata, noſtraque Urbs primum locum obtinuit. Hoc enim quî poteſt intelligi, cum ipſorum Tuſcanellenſium rationes omnes conturbet? Sed ut difficultates de Tuſcanię nomine poſtpoſito, aliaſque, quę hac in re ſeſe offerunt, pręteream; illud unum, nempe nos ante Cæleſtinum tertium non habuiſſe Epiſcopos minime defendi poteſt; etenim multo ante, velint nolint, antiſti-

tes

tes reperiuntur, qui Viterbienſes dicerentur, & habe-
rentur, ut ex publicis Monumentis indubitatum eſt,
quod etiam Ughellius, Lucentius, & auctores addita-
mentorum ad Ciacconium, & ad Dempſterum adnota-
runt. Concedit hæc Tuſcanellenſium Patronus non pro-
letarius, ſed reſpondet Viterbienſes illos Epiſcopos fuiſſe
appellatos, quia ſæpe Tuſcanello relicto ſe in noſtras
domos deportabant, ibique quod is locus magis arri-
deret, morabantur. Verum ubi in Italia hoc auditum,
aut factum eſt, ut propriæ Eccleſiæ relicto Solio, & Ti-
tulo à, loco qui neque Urbs, neque Sedes Epiſcoporum ſit,
Antiſtites nomen ſumpſerint? An Tuſcanellum ſe ali-
quo nefario, atque immani ſcelere polluerat? An pu-
debat Epiſcopos ab eo loco denominari, qui ut ipſi con-
tendunt, erat Urbs antiquiſſima, Etruſcorum Caput,
& tot opibus, nominibuſque illuſtris præſertim ob Ca-
thedram S. Ptolemæi jam inde ab Eccleſiæ Romanæ
primordiis? Quo nam vero pacto ſedem apud nos po-
nere poterant, & ſine Summi Pontificis auctoritate Vi-
terbienſium nomen adſciſcere? quum id in Concilio
Carthaginienſi Epiſcopis expreſſe fuerint igterdictum
Can: v - *Placuit, ut nemini ſit facultas relicta prin-
cipali Cathedra ad aliquam Eccleſiam in Dioeceſi conſti-
tutam ſe conferre*, quod etiam refertur Decr. quæſt. 1.
Cauſ. 7. Quare quando à Tuſcanellenſibus non recla-
matum fuiſſet, Roma ipſa reclamaſſet: Erant Centum-
cellæ, & Ferentum, Blera, & Foroclodium, Tarquiniȩ,
& Graviſcæ, quæ Epiſcoporum Cathedræ fuerant An-
tiquiſſimæ: harum unaquæque poſtulaſſet, ut ab ſe
no-

nomen ſumeretur, ſi Tuſcanelli pœnituiſſet. Per ea tamen tempora nemo verbum fecit, & Tuſcanellenſes ipſi hac in re nil moverunt contra, quamvis Innocentius Tertius & Tuſcanelli, & Cornyeti paucis poſt diebus moratus fuerit. Fateri igitur oportet nemini injuriam factam eſſe, & Viterbum vere fuiſſe ſedem Epiſcoporum. At, inquiunt, S. Leo, & Innocentius contrarium aſſerunt. Ego has litteras veneror, atque deoſculor, quæ adeo meę Patriæ favent, ut mox videbimus, ut vehementer mirer Tuſcanellenſes in iis gloriari, illiſque in marmore nuper exaratis ſibi plaudere. Ut videant quam fidenter cum iis agam, & quam fragili loco ſint eorum rationes, concedam in pręſentia Viterbum non fuiſſe Urbem ante Cælestinum, neque Epiſcopos habuiſſe; Tuſcanellum contra eſſe antiquam Tuſcaniam. Verum quæſo reſpondeant, indicentique, quo nam modo Conjunctio illa facta eſt? Facta fuit, reſpondent, *aeque principaliter*. Oho locus, qui pridie ejus dici Caſtrum erat, qui vobis erat ſubiectus, cum veſtra Eccleſia pari jure fuit copulatus! Truncus eſt, qui non obſtupeſcit. Sed amabo literas Innocentii attentius legamus: *Illam Viterbienſi Sedi erga Centumcellenſem, & Bledenſem diœceſes honorificentiam confirmamus, quam circa ipſas Tuſcanenſis Sedes dignoſcitur hactenus habuiſſe*. Audiſtis? Totius dignitatis cumulus, quam Tuſcanenſis Eccleſia habuerat ex Blera, & Centumcellis, totus noſtræ Urbi confertur, & confirmatur. Fatendum eſt igitur Tuſcanellum (ſi vetus Tuſcania eſt) omne honoris, atque eminentiæ decus

cus amiſiſſe. Qui igitur dici poteſt conjunctionem factam fuiſſe *æque principaliter*? Perge porro. De diœceſi, quam amplam ſe habuiſſe Tuſcanellenſes gloriantur, quid factum fuit, Tuſcanellæ, an Viterbo ſubiecta eſt? Hac de re nihil audent. Satis ſuperque tamen loquitur Populus, & Clerus ipſius, qui Viterbienſem Curiam petunt, atque appellant, noſtro Vicario parent, noſtramque Eccleſiam, ut univerſæ Diœceſeos Caput venerantur. Non loquor nunc de ipſo Tuſcanello, de litibus præſertim coram Ill: Cavalerio, & de tranſactione pro Vicario Generali. Notum eſt centum poſt annos ab Innocentio tertio veluti ſomno diutino Tuſcanellenſes experrectos de Primatu cogitaſſe, atque hac de cauſſa noſtri Epiſcopi detrectaſſe imperium, ſed à S. Cæleſtini litteris parendi neceſſitatem impoſitam.

Cœleſtinus Papa V &c.

Dilecto filio &c. *Dudum ſicut audivimus Fel.* Record. *Cœleſtinus Papa III Prædeceſſor noſter Viterbienſem, Tuſcanellenſem, Centumcellenſem, ac Bledanenſem Eccleſias univit* &c. *Verum quia Clerus, & populus Tuſcanellenſis eidem unioni parere, & Vener. Fratri noſtro Epiſcopo Viterbienſi, & Tuſcanellenſi denegat obedire, nos eis ſub certa forma noſtris damus litteris in Mandatis, ut hujuſmodi unioni pareant, & Epiſcopo obediant, Dat. Theate* X *Kal. Nov: An:* 1.

Si igitur univerſa Diœceſis, ſi Vetralla, ſi Mons Altus, aliaque oppida, quæ Epiſcopi ſui antea fuiſſe dicunt, Viterbo ſubſunt, ubinam eſt conjunctio æque principalis? Sed hæc levia: Illud peculiari adnotatione

dignum eſt: Blera, & Centumcellæ in ſuo jure relictæ fuerunt; *Statu* (inquit Innocentius) *illarum ſedium Centumcellenſis videlicet, & Bledenſis in ſuo jure permanente*: Vide quam belle, & diſerte diſtinguat Cathedras, quarum jus ſervatum voluit. Quis ignorat effatum illud juriſperitorum: *Exceptio firmat Regulam in contrarium*? Ne minima quidem igitur honorificentia Tuſcanello relicta eſt. Ex quo quiſque videt eas litteras Tuſcanellenſibus quam maxime adverſari, nec etiamſi concedamus Tuſcanellum antiquam Tuſcaniam, ſeu Etruriam fuiſſe, ab iis ſe poſſe expedire, quod ingenue Tuſcanellenſis cauſſæ Patronus in quodam Autographo faſſus eſt. Verum totius rei fores aperiamus. Tuſcania, ſeu Etruria non ubi Tuſcanellum eſt extitit, ut vulgo credunt, ſed ubi Viterbum, quod ſexcenties jam demonſtravimus: ſed Epiſcopi temporum injuria ex noſtra Urbe migrare coacti Tuſcanellum, quæ noſtra Colonia erat, ſe contulerunt, diuque habitarunt. Hinc omnis errandi occaſio ortum habuit, quam neque Corretinus, neque Ughellius, neque alius quiſpiam evitavit, niſi ſi Annium excipias, qui quamvis erga Tuſcanellum nimis eſſet indulgens, ac credulus, tamen diſerte, & paſſim docuit minime eſſe Tuſcaniam, ſeu Turrheniam.

Neque vero incertum eſt, quod ad diſcedendum ſacros Antiſtites impulit. Quum enim Gotthi, ac Barbari totam fere Italiam, atque Hetruriam ſuſdeque miſcerent, Etruriam noſtram, ac Tuſcanienſem Regionem in tot oppida diviſam, atque in ipſa via, qua

Ro-

Romam petebant, magna ex parte diruerunt. Hac clade opinor etiam Tarquiniæ, ac Graviſcæ, aliæque Urbes afflictæ ſunt. Tunc laribus exciſis palantes Tuſcanienſium pars in agrum Tarquinienſem à ſoli ubertate, ac vicinitate illecta migravit, ac novam Tuſcaniam condidit, pars in Urbe Principe, atque in Terbi Caſtello ſeſe munivit: Sed quum ibi Gotthi, ac Langobardi, ac demum horum Præfecti dominarentur; Epiſcopi ut tempori inſervirent huc, atque illuc antea ad Montem Flaſconem, poſtea Tuſcanellum in novam Coloniam ſe deportarunt. An ij illorum impietati, ac violentiæ reſiſterent, qui toties Romanos Pontifices fugere coegerunt? Hoc ab Epiſcopis fuiſſe uſitatum in ea temporum barbarie, eademque de cauſſa Epiſtola S. Gregorii Magni ad Epiſcopum Bellitranum teſtis eſt, quam multi referunt præſertim Gratianus Decr: 2. par. Cau: 7. quæ 1. Can. 44. *Temporis qualitas admonet Epiſcoporum ſedes antiquitus certis Civitatibus conſtitutas ad alia, quæ ſecuriora putamus ejuſdem diæceſis loca tranſponere, quo & habitatores ſecuri valeant degere, & barbaricum poſſint periculum facilius declinare &c.*

Hoc idem noſtri Præſules ſub Friderico Imp. uſurparunt, quum Scambius in Caſtrum Palenſanę cum univerſa Civitate fere ſe contulit, & ſub Vichiorum tyrannide, qui Ghibellinorum erant anteſignani, quo tempore cum Nicolaus noſter Antiſtes ſe in Montem Altum ad Graviſcas recepiſſet, ibi etiam totius diœceſis Synodum celebravit. Quum igitur Tuſcanellum ſedem noſtri tranſtuliſſent, ibique longo tempore morati eſſent, multi

cum nominis ſimilitudine, tum temporis diuturnitate decepti Tuſcanienſes Epiſcopos ejuſdem Tuſcanelli eſſe crediderunt: iique ad priſtinam ſedem vel ſpe ſublata, vel cogitatione depoſita ibi placide degebant. Ad hunc errorem confirmandum noſtræ Urbis nova veluti facies, & nomen renovatum, quum à Deſiderio ſub unis mœnibus colligi cœpta eſt, ac Viriboni petitio acceſſit, ut S. Leo omnia quæ erant in dominio ejuſdem Epiſcopii (ſunt verba ipſiſſima) ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus confirmaret, ac ſuis litteris muniret; inter quę Plebem S. Laurentii infra Caſtrum Viterbi, & Eccleſiam S. Michaelis enumerat. Quid tum igitur? An recenſendum erat diſtincte Viterbum fuiſſe Cathedra decoratum? Quid ſi ille Virbonus Tuſcanelli natus? Quid ſi aliqua de cauſſa ſi non noſtris infenſus, ſaltem Tuſcanellenſibus plus æquo indulgens, ut de Epiſcopis, qui ante Cœleſtinum ſe Viterbienſes ſcribunt, Tuſcanellenſes cauſantur? Neque argumenta deſunt huic ſuſpicioni confirmandæ: Caſtrum Viterbum diligenter enumerat, anxie repetit, ac ſollicite inculcat, quum Orclam, quæ noſtræ ditionis erat, Civitatem appellet: Refert Plebem S. Laurentii infra ipſum Caſtellum: Suam contra Civitatem diligentiſſime adnotat, additque, quę vocatur Tuſcana, ne cui memoria excideret, quum Tuſcanellum in decreto Deſiderii, atque in Epigrammate Capitolino, alibique dicatur. Non hæc eo dico, ut negem Civitatem Tuſcanam fuiſſe dictam, nec de nomine litigo. Quamvis Mons Faliſcus, & Epiſcopi M. Faliſci dicantur, qui poſtea à Martino V Monti Flaſconi tributi ſunt, tamen ſem-

ſemper vere dicetur nomen eſſe alienum, atque ab iis populis, qui ſunt inter Ciminum, & Soracte precario acceptum. Monet S. Leo Eccleſiam S. Mariæ olim Caput Epiſcopii extitiſſe, atque alia ejuſmodi, quæ Vir-bonus ei ſuggerebat: ſed nos hic opponimus ex hac ipſa Epiſtola Epiſcopium Montis Flaſconis: dicant Tuſcanellenſes, quid hoc ſignificat? Nonne evidens eſt Epiſcopos ab antiquo cum noſtri Comitatus erat, noſtræque diœceſeos etiam in illud oppidum natura, & arte munitiſſimum ſe recepiſſe, indeque Epiſcopii nomen factum? Nonne magis magiſque in aperto eſt Epiſcopi Sedem fuiſſe aliquandiu vagam, & à noſtra Urbe extorrem? Ea ipſa certe tempeſtate, & Viterbium Urbs erat cum Cathedra pontificali, cum agro ampliſſimo uſque ad Mare, & multo ante Cœleſtinum Epiſcopi reperiuntur, qui Viterbienſes dicti ſunt.

Sed ſiſtamus hic gradum parumper. Habemus ex hoc privilegio S. Leonis Eccleſiam S. Mariæ olim Caput Epiſcopii fuiſſe. Cujuſnam animum cupido non inceſſit quærendi, quod nam eo tempore Caput eſſet? Legatur attente. Hac de re nihil. Notatur ubi fuerit annis elapſis, at minime indicatur in præſenti. Erat ne hoc prætereundum? Enumerantur ſingillatim alia templa, loca, & prædia Epiſcopi, & omittitur quod Caput eſt? O egregia Tuſcanellenſium privilegia? Non auſi ſunt S. Leoni aſſerere Epiſcopi Sedem id temporis eſſe apud ſe: ſilentio hoc tranſierunt dixiſſe contenti olim S. Mariam Caput Epiſcopii fuiſſe. Hinc enim vero cognoſcitur, quam incorrupta ſit noſtri Lælii fides, qui

in

in ſuis vetuſtis MSS. Annalibus ad Annum DCCCL antequam S. Leo privilegio ſubſcriberet, & Cathedram apud nos fuiſſe indicat, & Bertrandum Archipresbyterum. Quod ſi vox Caſtri, & Caſtelli nomen in Leonis litteris Viterbo tribuuntur, nihil eſt: nam ne dolo malo omnia tribuamus, reſpondemus Caſtra, & Caſtella vocari à Scriptoribus præſertim mediæ, infimæque Latinitatis etiam Vrbes, ut Servius aſſerit ad illud Æneidos libri VI *Caſtrumque Inui*. Sic Caſtrum Balneum Regis apud S. Gregorium ad Epiſcopum Cluſinum: Caſtrum Polimartium apud Anaſtaſium in Vita Zachariæ, Gallienſium Caſtrum in Gregorio Tertio legimus, Centumcellenſe Caſtrum in Leone Quarto, quæ loca optime ſciunt Sedes Epiſcoporum iis annis fuiſſe, & ſubſcriptiones in Sacris Conciliis abunde teſtantur. Apud Ammianum Marcellinum libro decimoquinto *Pariſiorum Caſtellum Lutetiam* legimus. Inſcriptio in Eccleſia S. Angeli Burgum Biterbum nominat Anno CIↃCXLV, & tamen Eugenius Tertius P. M. cum tota Curia apud nos tunc Sedem fixerat Pontificiam, & in templo S. Laurentii, aliiſque in locis non ſemel ſacra fecerat, ut teſtatur inter alios Chryſoſtomus Henriquez in ejus Vita, eademque inſcriptio pulcherrima. Paullo poſt Hadrianus IV idem factitavit diu ibi moraturus, niſi adventu Friderici Imp. fugæ ſe dare coactus fuiſſet. At diligentius paullo inquiramus an Viterbum Civitatis nomine per ea tempora fuerit appellatum. Et quoniam Anaſtaſii liber in manibus eſt, hunc inſpiciamus. Ecce Vitam S. Hadriani, à quo Deſiderium metu ejectum legi-

gimus è Civitate *Viterbienſe*. Præterea in eiuſdem Deſiderii Epiſtola ad Grimoaldum Urbs vocatur. In actis S. Valentini, & Hilarii, quæ in Bibliotheca Vallicellana aſſervantur, Caſtelli Viterbenſium mentio fit, quod ejus ætatis ſtilum, & ſcriptoris bonam fidem redolet: tamen & Demetrium Præſidem ibi fuiſſe legimus, & ad extremum hæc habentur: *Erat autem quædam religioſa Mulier in eadem Civitate nomine Eudoxia*. Sed etiam poſt Leonem IV Conſules Civitatis Viterbi in Antiqua inſcriptione legimus, ut jam adnotavimus ante annum milleſimum. Otho tertius Anno DCCCCLXXXXIX, ut videmus in Archivo Farfen: Viterbum Civitatem appellat, & paullo poſt Benedictus Papa VIII, ut jam monuimus. Ergo ſi ex adverſariorum ſententia Civitates Epiſcopos habebant, Viterbum ante, & poſt Leonem IV pontificalem Cathedram habuiſſe dicendum eſt. Quamquam quum Caſtrum, & Caſtellum Viterbi legimus ſæpe pars quædam munitiſſima intelligebatur, ubi extitit Herculis Fanum à Torebo Turrheno ædificatum, ex quo Beth-Therbi nomen, ut ex Anonymo Ravennate colligimus, & Burgi Biterbi inditum fuit, quod apertiſſime colligimus ex diplomate Henrici III Imp: in Chronico Farfen. fol.606 *In Viterbio Eccleſiam S. Mariæ; Eccleſiam S. Valentini in Burgo* &c. Illud admirabilitatem facit in S. Leonis litteris Orclam Civitatem non ſemel vocari, quamvis Epiſcopum non haberet, Viterbum vero nunquam. Quis adeo cæcus, ut fucum factum non videat? Viterbienſis Comitatus in illis S. Leonis litteris mentio fit. Sed quis ignorat Comitem Judi-

dicem Civitatis ea tempeſtate ſignificare ; ut loquitur Cangius, & Comitatum territorium, ſeu pagum Urbis circumjacentem ? Hoc teſtatur etiam Ill. Borgia in Hiſtoria Veliterna. Sed audiant gloſſam in Capite Provincias diſt.XCVIII *Comitatus dicitur diſtrictus Civitatis, ubi eſt Epiſcopus*. Unde Comes Velitrenſis, Tuſculanus, Anagninus, aliique. Hinc Conradus II Imperator, ut mox videbimus Viterbienſis Comitatus meminit, & Viterbum Civitatem ſimul appellat: Immo ex hoc noſtræ Urbi Tuſcanellum ſubjectum fuiſſe convincitur. Nam Italiæ Urbes præcipuæ vel Comitem vel Ducem per ea tempora habebant, cui Oppida & Caſtella finitima obtemperabant; ideo toties legimus, Ducatum Nepeſinum, & Cluſinum: Comitatum Hortanum, Peruſinum, alioſque: Vel igitur Tuſcanellenſes Comitem, Ducemve proprium habuiſſe oſtendant, vel noſtro Comiti, ſicut ſubinde Præſidi noſtro paruiſſe fateantur. Omnes Urbes enim, atque etiam oppida habebant quidem territorium, ſed non Comitatum, qui plura territoria complectebatur. Civitas cum Comitatu Civitas erat cum Juriſdictione, cum Comite, vel Duce, qui jus dicebat etiam Oppidis, & Territoriis finitimis: Sic ſæpe audimus Comitatum Sabinenſem, Anagninum, Spoletanum: Hinc legimus in Leonis Quarti Epiſtola ad Virumbonum Territorium Martanum, Corgnetenſe, immo Civitas Orcla etiam, & Epiſcopium Montis Flaſconis commemoratur: in aliis Pontificum, atque Imperatorum litteris Territorium Tuſcanum ſæpe occurrit; ſed Comitatus ſolum Viterbio tribuitur, cui illa ſubdeban-

bantur. Jannottus par.2 in MSS., ut Comitatum ſuam patriam habuiſſe ſuadeat ex Platina ſub Paſchali II Oppidum Bledenſe in Comitatu Tuſciæ profert; atque alia quædam recentiora; trahitque in ſuam rem miſere: ex quo nemo non videt Tuſcanellenſes ſe Comitatum habuiſſe præſertim ante annum milleſimum nullo pacto poſſe oſtendere: Viterbienſes ex multis multorum monumentis, atque ex ipſis privilegiis, in quibus Tuſcanellenſes exultant. Atque hinc noſcant an Caſtellum parvum, & ignobile fuerit Viterbum, ut ipſi dictitant: Ipſe Leo Comitatum Viterbienſem ad Ortam uſque, & Polimartium pertinuiſſe teſtis eſt. Quam ingens igitur erat noſter ager? Hæc ſunt in iis S. Leonis litteris, quibus nos deterritos, & victos cenſebant: Nos tamen adeo non timemus, ut potius gratias agamus maximas, quum noſtræ gloriæ non modicum incrementum, loco Anaſtaſii ſuboſcuro non tenue lumen attulerint, & Calvellum, atque Vicumorchianum, quæ Oppida Deſiderius nobis ſe ædificaſſe ſcribit, aſſerta videamus. Narrat hic, quum S. Zacharias à Ramingo Gaſtaldo Tuſcanienſi, & Grimoaldo Polimartio Bleram uſque comitandus eſſet, in ſpeciem quidem honoris, ſed re vera ne Pontifex in Agro Viterbienſi pedem poneret, fuiſſe decretum iter per circuitum prope Langobardorum Tuſciæ fines, & per partes Sutrinæ Civitatis: poſtea tamen, quum nimis longa eſſet via, mutatum eſt conſilium. Quod nam erat Oppidum, ſeu Urbs Langobardorum, quæ cum Sutrino Agro conjungebatur, niſi Viterbium? Ergo noſtri Comitatus fines

hinc Polimartio, & Orta; illinc Sutrino, ac Blerenſi agro terminabantur. Quam late vero pateret per omnes partes ſola geometrica analogia poſſet indicare; ſed nos habemus menſuram multo certiorem ab adverſariis ipſis ultro nobis oblatam. Noſtri Comitatus limites eo tempore erant fere ii ipſi, quos S. Leo Tuſcanienſis Cathedræ eſſe confirmat. Et merito, nam ut antea demonſtravimus ad normam civilis dominii Epiſcoporum juriſdictio protendebatur. Jam vero ex ipſis Tuſcanellenſium privilegiis, ſeu verius noſtris Polimartio, & Ortæ Viterbienſem Comitatum adjacentem vidimus, & eo uſque Epiſcopii fines: deinde Plebem S. Martini ſupra Sutrium Leo IV enumerat, & Maſſam Fori Caſſii, & Vallem Montis Foliani cum Butte: At ea loca Langobardos noſtræ Urbis uſque ad Sutrinum agrum tenuiſſe ex Anaſtaſio Bibliothecario didicimus, & multo ante ex ea parte prope Vicum Matrini (hodie le Cappannacce, ut notat Eruditiſ. Nardinus) figlinæ Annii Veri, quæ Volaturrenæ dicebantur, in tegula ſepulcrali demonſtravimus. Metitur Leo fines, qui ſunt, ut ait, in dominio ejuſdem Epiſcopi à Mari Magno, & à fluvio Minione ad pedem Leuprandii inter Territorium Orclanum, & Bledanum: At eo uſque noſter Ager extendebatur. Orcla ipſa, quæ Civitas à Leone Pontifice appellatur, noſtra erat, atque adhuc eſt, & habemus Inſtrumentum, quo inſtituitur ipſius Caſtellanus, ut notat etiam Petrus Corretinus in Chronol. Epiſcoporum. Horchia ibi culta fuit, quæ Dea Etruriæ dicitur à Livio. Extat diploma Imperatoris Conradi Anno 1027

cx

ex Reg. Farfenſis Cœnobii num.707: *in Comitatu Viterbienſi infra Civitatem Eccleſiam S. Mariæ cum omnibus ſuis pertinentiis : Cellam S. Mariæ juxta fluvium Minionem cum Gualdo ſuo, & rebus ad eam pertinentibus* : Hanc cellam prope ripam Minionis in Tuſcanellæ Territorio fuiſſe certum eſt : & tamen Conradus, & Otho, & Benedictus VIII in Comitatu Viterbienſi fuiſſe aſſerunt. Quare? Quia Ager Orclanus, ſeu Horchianus, Corgnetenſis, Tuſcanellenſis, Martanus, adde etiam totam Ferenti Urbem, erant in noſtro Comitatu : Sed audiamus Othonem III Imp. apud Clariſ. Muratorium ex diplomate Anni 991. *In Comitatu Viterbienſi Eccleſiam S. Mariæ . . . . juxta fluvium Minionem cum Gualdo ſuo* : Et Benedictum Octavum, qui eiſdem verbis Anno 1013 idem confirmat apud eundem : *In Comitatu Viterbienſi infra Civitatem Cellam S. Mariæ . . . . Cellam S. Mariæ juxta fluvium Minionis cum Gualdo ſuo*. Omitto Foranum, ſeu Forum Annii, quod ab Orcle, ſeu Horchia parum aberat, nam ex Deſiderii decreto in noſtra poteſtate fuiſſe ſcimus, atque ab Annia gente cum via cognomine munitum. Omitto etiam Barbaranum, quod à Deſiderio ædificatum nobis ab eodem donatum eſt : quodque Anno 1296 in noſtra poteſtate fuit, ut ex Charta Comitiſſæ Cleriæ cognoſcimus in tabulario noſtro Caſtrorum, & Confinium. Hinc noſcimus, quam aberraverint, qui ubi Barbaranum eſt, fuiſſe Marturanum, & Marturanenſes Epiſcopos crediderunt : Nam nullum oppidum Viterbienſis Comitatus Epiſcopos habebat, quum uni noſtro

ſubeſſet. Addit S. Leo in Territorio Corgnetenſi fundum Poppelupoli: at Cortnyetum, ſeu Cornetum noſtri juris fuiſſe teſtatur idem Deſiderius, qui Tuſcanellum, Cortnyentam, Dardanum, Aſſium, & ipſum Cornyetum inter alia noſtra oppida extitiſſe docet, illorumque reparationem nobis imperat. Carolus Craſſus Imp. Anno 881 ex diplomate Farfenſi edit. Muratorii pag.381 non ſolum uſque ad Minionem Veterbienſes fines extendit, verum etiam uſque *ad Montem Goſbertum*, *Ripam Albellam*, *&* *portum Maris*. Montem Flaſconem, atque Eccleſiam, in qua eſt Corpus S. Flaviani inter Tuſcanenſis Epiſcopi loca idem S. Leo adjungit: Sed ſi Troſſulum, Florentiam, Tudernum, Cortnoſſam, & Cortenebram, quæ illum cingunt, fuiſſe in Tuſcis, ac noſtræ ditionis ex Plinio, & Livio probatum eſt, ſi Lacum ipſum Vetulonum eſſe aſſeruit ipſe Deſiderius, & noſtri Annales teſtantur, palam eſt ipſum Montem, qui Arx Iti in Hiſtoria MSS. S. Flaviani dicitur, fuiſſe noſtrum, ubi noſter Epiſcopus aliquandiu manſit, ut ex diplomate S. Leonis adnotavimus, & Epiſcopii nomen fecit. Tranſit S. Leo Pontifex ad Plebem S. Mariæ in Tarquinio, & ad plebem S. Heraſmi ſecus litus Maris juxta Montem Altum, quæ loca Tuſcanellenſes ſua fuiſſe aſſerunt: Sed ut videant, cujus juris ea fuerint, nihil aliud opus eſt, quam repetere ipſum Tuſcanellum fuiſſe noſtram Coloniam, nam poſtquam Tarquinienſem agrum ampliſſimum, ac fertiliſſimum noſtri ocuparunt, ad eum colendum plures miſiſſe dubitare non poſſumus: atque ita uſque ad Mare

ex-

extendiſſe Comitatum : ſi Deſiderii teſtimonium, ſi Conradi, ac Caroli Imperatoris, & Benedicti VIII Pontificis diſplomata eos non movent, proferemus Martyrologium Uſuardi, qui tempore ejuſdem fere Deſiderii ſcripſit : *V Idus Auguſti in Colonia Tuſciæ Natalis SS. Martyrum Secundiani, Marcelliani, & Veriani* : Hi Sancti Martyres, inquit Jannottus in MSS. par.5 poſt hæc Uſuardi Verba, quæ recitat, ſunt Tuſcanellæ, non Viterbi : eorum feſtum eodem die ibi celebratur : Ergo Tuſcanella eſt Civitas Tuſcana. O dialecticæ peritiam admirabilem? quis neſciat eam argumentationem ſic concludere debuiſſe : Ergo Tuſcanella Colonia Tuſciæ eſt : quod eſt veriſſimum? Ceterum Portum Montis Alti, ſicut Corneti noſtrum fuiſſe teſtatur Epigramma ſupra Antiquam Portam Calumbam :

IN NÕE DÑI AM. AN. MCC. HORATIUS SEXTUS NOBILIS VIR PRVDENS CONRADI DE BRANCA CIVIS EVGVBINI POTESTAS CIVITATIS VITERBI FELICI SVO REGIMINE CIVITATIS DECORATVS HONORE DE REDDITV CL LIBRA PAPAL QVEM CASTRVM MONTIS ALTI PROVENIENTIA PARTEM PORTVS PERTINENTIS AD COMMVNE VITERBI TENETVR EIDEM COMMVNI SOLVERE ANNVATIM.

Rivum Sanguinarium, Vicum Razanum, atque alia prætereo, quæ nunc quoque ſunt noſtri juris : Omitto etiam Plebem S. Petri in Palenſano, quam ſimul S. Leo recenſet, nam quis ignorat Palenſanum cum Balnearia, ac Monte S. Angeli nos Epiſcopis noſtris dono dediſſe, ex quibus Balnearia, quum ſumptuoſior eſſet, quam par erat, cum fundis S. Juſti, & S. Juliani fructuoſioribus prope

prope Tuſcanellum Apoſtolicæ Cameræ conſenſu, & contractu fuit commutata. Nunc à Tuſcanellenſibus petimus: Si à Polimartienſi, atque Ortano territorio noſter Comitatus Viterbienſis uſque ad ripam Albellam Minionis, ac portum Maris erat extenſus, qua ipſius Tuſcanelli agri jacebant; quouſque ex altera parte ipſum exporrectum velint. Non ne eos ipſos extitiſſe terminos fateri cogentur, quos S. Leo IV Tuſcanienſi Epiſcopo aſſignavit? In Vita S. Leonis Tertii apud Anaſtaſium territorium Orbetanum cum Caſtrenſi, & Tuſcanienſi conjunctum legimus: *Eccleſia S. Pauli Apoſt. in territorio Orbetano infra fines Suanenſes, & Cluſinenſes, Tuſcianenſes, atque Caſtritana*. At quis non videat Tuſcanienſes fines non eſſe niſi Viterbienſes eo maxime, quod Tuſcanelli territorium cum Caſtrenſi conjungi quidem poterat, Orbetanum propter Vulſinienſis lacus interjectum attingere nullo modo poterat? Viterbienſis igitur Comitatus Tuſcianenſis eſt, atque ad Orbetanum territorium protendebatur: Viterbum igitur Tuſcia, & Tuſcanellum Colonia Tuſciæ eſt. Atque hinc iterum noſtrorum monumentorum fides quam integra ſit conſpicitur. Protulerant ex noſtro Archivo Dominicus Blancus in MSS., & cum eo Petrus Correretinus in Chronologia Epiſcoporum Ferentum, Balneariam, Palenſanum, Surianum, Altetum, Vicum, Corbianum, Cornientam, Vicumorclanum, Canapinam, Florentinum, Martam cum Inſula, atque alia in noſtra ditione fuiſſe: Neque Corretinus, neque Blancus profecto viderant Leonis Epiſtolam, imo neque Tuſca-

ſcanellenſium ullus eo uſque fines Epiſcopii ſciebat; & tamen ea Oppida in noſtra fuiſſe poteſtate uterque tradiderat, quæ ad amuſſim deſcriptioni factæ pro Viro bono Epiſcopo ex ea parte reſpondent. Singula non opus eſt enumerare: Primum, atque ultimum expendamus. Ferentum primo loco recenſent. Ferentanos Epiſcopos ibi ſediſſe uſque ad Sæculum VII ambigi non poteſt, ſed poſtea noſtros ea Urbe potitos fatendum eſt, & ideo Ferenti Epiſcopi tunc deſiere audiri: Re vera limites à Leone IV aſſignati illud comprehendunt, & noſtri Epiſcopi juſſu à noſtris militibus dirutum fuit, quia in Cerdonis hæreſim inciderant, ut ex Gotefridi Annalibus notavit Albertus, Ferrarius, & Heſchenius to.3. Maii pag.371, quod convincit ſub noſtræ Urbis, noſtrique Epiſcopi ditione fuiſſe. Ad Martam veniamus, quam noſtram quoque fuiſſe noſtri Annales teſtantur, ut Deſiderii Edictum omittam, quod non ſolum illam, ſed totum lacum poſt longam litem cum Tyrenſibus nobis adjudicavit. Equidem eam cum Inſula pariter enumerat Leo IV, eique attribuit territorium diſtinctum. Quis non crederet noſtrorum Annalium Scriptorem Leonis Epiſtulam eſſe imitatum? Et tamen quo tempore deſcripti fuerant, ea in tenebris deliteſcebat. Vides igitur quam bene Viterbienſium hiſtoriæ, & Monumenta cum Leone, ac veritate conſentiant: Vides ea recenſeri, quæ in noſtra poteſtate erant potiſſimum: Vides Epiſcopium Tuſcanienſe idem eſſe, ac Viterbi Comitatum, ideoque ſicut tunc unius juris, ſic ſub uno Epiſcopo extitiſſe.

Ex

Ex his liquido intelligimus Tuſcanellum nec dioeceſim, nec Pontificalem Cathedram habuiſſe, nec fuiſſe antiquam Tuſcaniam, & ſi quid dignitatis habuit, id non proprium, ſed caſu quodam, atque ex noſtrorum Epiſcoporum domicilio fuiſſe profectum, quod non libera voluntas, ſed ratio periculoſorum temporum poſtulavit. Nonne ſi antiqua illa Urbs fuiſſet, quam jactitant, & Antiſtitum Sacrorum propria Sedes, primus honor in ea conjunctione (Viterbo præſertim ſubdito, ut adverſarii contendunt, & Caſtello ignobili) illi datus fuiſſet? Nonne in ſuo jure permanere debuiſſet multo magis, quam Blera, & Centumcellæ? Res tamen longe aliter ſe habet. Quis non videat igitur Tuſcanienſem Epiſcopum Viterbienſem eſſe? Immo cum conjunctionem Eccleſiæ Viterbienſis, & Tuſcanienſis, atque omnis honoris primatum nobis Innocentius confirmaſſet IV Idus Octobris, paucis poſt diebus Viriboni privilegium à Leone IV conceſſum in perpetuum de Verbo ad Verbum juſſit adnotari, *ne vetuſtate conſumptum deperiret*. Hæc petentibus Tuſcanellenſibus geſta ſunt. Nunc enim vero utraque aure lupum tenent: Ergo cum jam à Cœleſtino III conjunctio facta fuiſſet, atque ab Innocentio paucis ante diebus eſſet confirmata, vos tanta gratia, ac patrocinio pollentes, Corneti in veſtra Dioeceſi, ut dicitis, coram juſtiſſimo, ac Sapientiſſimo Pontifice nihil de primatu, nihil de jure læſo queſti eſtis, nihil de conjunctione Viterbienſi egiſtis, nulla in re reclamaſtis, & ſolum de blattis, tineiſque ſolliciti fuiſtis? Hoc contra vos facit: hoc idem vos condemnat; ſi ſo-

ſi ſolum centum poſt annos ſub Cœleſtino V Epiſcopo Viterbienſi, & conjunctioni parere recuſaſtis. Hæc certe difficillima credita viderentur, niſi in iis privilegiis, quæ ipſi proferunt, exarata haberent.

Verum Tuſcaniam Viterbium eſſe nil æque confirmat, quam Sacrorum Antiſtitum Subſcriptiones. Multo enim ante Cœleſtinum, atque etiam Clementem III Viterbienſes Epiſcopi inveniuntur, iidemque, quod peculiari animadverſione dignum eſt, aliis in locis Tuſcanienſes ſeſe appellarunt, ut in Epiſcoporum Serie exhibebimus. Quum enim Viterbi nomen ex Deſiderii juſſu tritius, & communius factum eſſet Etruriæ, aliorumque Oppidorum ſublatis nominibus, modo ſe Tuſcanienſes, modo ſynonymῶs Viterbienſes dicebantur. Viterbienſis Epiſcopus legitur in Catalogo Epiſcoporum, quem deſcriptum refert ſub Victore II ex Bibliotheca Vaticana Baronius, ex Thuana Carolus à S. Paulo, ex Barberina Scheleſtratius, ubi Tuſcanienſem minime legimus. Catalogus hic plus centum annis ante Cœleſtinum III confectus fuit non à Viterbienſibus, non ab aliquo Epiſcopo, qui nimio erga noſtram Urbem amore, atque indulgentia Tuſcanellum contempſerit, Viterbum extulerit. Enumerantur ibi diſtincte Balneoregienſis, Sutrinus, Nepeſinus, & reliqui finitimarum Diœceſeωn: quare igitur Tuſcanienſis omiſſus eſt, quare Viterbienſis inſertus, niſi quia unus, & idem ſemper fuit? Perge porro: Riccardus Epiſcopus Viterbienſis teſte Abb: Ughellio in inſtrumento Archivi S. Angeli de Spatha reperitur Anno 1092, qui in Altari Tu-

ſcanellæ Præſul Tuſcanus dicitur: Rodulfus Viterbienſis Epiſcopus Anno 1126 ſubſcribit inſtrumento S. Angeli in Vado prope Tifernum teſte eodem Ughellio, & in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro tertio Anni 1179 Gen: Viterbienſis Epiſcopus legitur, ut idem Abbas teſtatur. Idem Alexander Pontifex, ut videre eſt in Epiſtola, quæ eſt in eorum Archivo eodem Anno ad Mardocheum Tuſcanelli Priorem ſcribens Epiſcopi diœceſani mentionem facit: Hic Diœceſanus Epiſcopus ſecundum Ughellium, & Lucentium non alius erat, niſi Viterbienſis, in cujus Diœceſi Tuſcanellenſes erant. At illi hoc errore, inquiunt, factum eſt: Epiſcopi Sedes Tuſcanellum erat, non locus Diœceſeos: Belle: Sed nos quoque erratum dicemus, quum Viterbum tanquam in Diœceſi in Pontificiis Epiſtolis refertur. Equidem ut verum fatear, Epiſcopus Diœceſanus tam in litteris his Alexandri tertii ad Mardocheum, quas refert etiam Vghellius, reperitur; quam in noſtris, ut obſervavi in Epiſtola Innocentii II Anni 1142 ad Azonem noſtrum Archipresbyterum, ex quo conjicere licet jam tum aliquam fuiſſe de Sede Epiſcopi controverſiam. Quare nunc intelligo cur circa Annum 1189 Tuſcanellenſes omni ope niſi ſunt, ut Johannes Lombardus Card. Tit. S. Clementis ſuus Epiſcopus diceretur, quum Gotefridus noſter in Aula Cæſarea longe abeſſet, nec poſſeſſionem Cathedræ adjiſſet. Re vera plures ſubſcriptiones Johannis Cardinalis Epiſcopi Tuſcani reperiuntur ſub Clemente tertio ab eo anno uſque ad 1193 ſub Cœleſtino, nomen enim Tuſcani,

&

& Tuſcanienſis, ut proprium obſcuriſſimorum temporum favore adſciverunt ſibi adverſarii: Contra noſtra Urbs Raynerium Epiſcopum ſolum Viterbienſem dictum habebat, ut videre eſt in Archivo noſtræ Cathedralis poſt mortem Gotefridi. Verum Cœleſtinus III defuncto Raynerio Joannem Cardinalem & Viterbienſem, & Tuſcanienſem nominavit, atque ita in perpetuum ſociavit, atque conjunxit. Hinc vulgaris error, & opinio de novo Viterbienſi Epiſcopatu orta eſt, ut bene notant Scholiaſtæ in Dempſteri lib. 3. cap. 4. Quamvis vero ex eo tempore utroque nomine Præſules noſtri appellarentur, tamen fere ſemper Viterbienſe nomen præivit, ſæpe Viterbienſis Epiſcopus ſolum reperitur, Tuſcanienſis vero ſolitarius raro, præpoſitus vix invenitur. In Conſecratione S. Laurentii in Lucina Johannes Biterbienſis ſolum dicitur: Poſt hunc Raynerium Epiſcopum Viterbienſem in libro X. Epiſtularum Innocentii III legimus Edit. Baluzii: Et in Capite *Rainutius de Teſtamentis* Epiſcopo Tuſcano tantum datas litteras videmus. Ergo etiam poſt Cœleſtinum qua Viterbienſes, qua Tuſcanienſes Epiſcopi dicebantur. Sæpius tamen Viterbienſes, & Tuſcanienſes.

At hæc teſtimonia, dicet aliquis, omnia ſunt poſt annum milleſimum: Non eo inficias. Sed hoc nonne ſatis eſt? Ut oſtenderem à Cœleſtino nobis Epiſcopum, & Civitatis nomen minime eſſe conceſſum, ſatis ſuperque eſſet, ſi ante illius tempus unum Viterbienſem Epiſcopum oſtendere poſſem: At nunc non unum, ſed plures, non ex noſtris Archivis, ſed ex externis,

non paullo ante, ſed multis annis demonſtravi: immo etiam multo ante Annum milleſimum. In Græca enim notitia Epiſcopalium Urbium à Leone Sapiente Imp. deſcripta, quæ refertur in Synodico Beveregii tom.2. pag.141 ſic legimus circa annum DCCCXC:

Κάστρον Ὀυιτερβηλὸν ideſt *Caſtrum Viterbiton*.

Et apud Codinum ſic habet pag.350 ſecundum editionem P. Jacobi Goar ex Ill. Dominicanorum familia, qui Viterbium diſerte interpretatur:

Κάστρον Ὀυιτερβαλὸς. *Urbs Viterbium*

Nec vero quiſquam cavilletur, quod ἐν ἐπαρχίᾳ Καμπανίας, ideſt in Præfectura Campaniæ referatur. Multa enim ibi confunduntur, ſic Βερέλη i Verulæ in Annonaria recenſentur, Luna, & Genua in Urbicaria. Κάστρον Γράδων i *Caſtrum Gradum*, & Ὀπιτέργιτον i *Opitergium* in eadem Campania. Neque hoc mirum in Græco Scriptore, quum Servius eruditiſſimus non ſolum Circejum jugum in Campaniæ tractu ad librum VII Æneidos in fine editionis Vellutelli, aliarumque antiquiorum, ſed paullo ante *Feſcennium*, inquit, *eſt oppidum in Campania, ubi nuptialia inventa ſunt Carmina*, & in eundem librum *Gabii Campaniæ Civitas* etiam ſcriptum reliquit. Quid quod apud Vitruvium libro octavo capite tertio: *In Agro Faliſco Via Campana* legi certum eſt? Sed de his hactenus.

Ex iis quæ diximus clariſſime cognoſcimus noſtros Præſules diu quidem Tuſcanelli conſediſſe propter Langobardorum violentiam intractabilem, ſed poſtliminio horum ſublata tyrannide in antiquam Sedem fuiſſe rever-

verſos: Neque hujus reditionis, & ſynonymiæ deſunt exempla ſimillima. Centumcellenſes ex Maris litore in Leopolim locum, qui nunc Cincelle dicitur, ſe contulerunt, ut legimus apud Anaſtaſium in vita ejuſdem S. Leonis IV; poſtea tamen in Civitatem Veterem, ſeu Centumcellas Lares, & Sacra retulerunt. Cluverius, Holſtenius, & Fontaninus ſitos fuiſſe Falerios & credunt, & narrant in ardua rupe eodem ſcilicet loci, quo Civitas Caſtellana nunc eſt. Eam Urbem uſque ad Ovidii, & Strabonis tempora ſtetiſſe certum eſt. Utrum poſtea diruta, an integra Falarim tamquam in novam Coloniam incolæ migrarint, incompertum habent. Sed Falari tandem relicta in priorem locum Epiſcopi Cathedram reportatam aſſerunt. Habemus rem ſimilem, videamus ſubſcriptiones: In Bulla Benedicti IX pro Eccleſia Silvæ Candidæ apud Ughellium: *Benedictus S. Faleritanæ, & Caſtellanæ Epiſcopus* habetur, & antiquum nomen cum recentiore conjunctum. Alia exempla afferre poſſemus: Sed hæc propiora, atque ante oculos ſatis ſunt. Hinc conjiciant, quam juſte à S. Cœleſtino V fuerit imperatum, ut Tuſcanellenſes Epiſcopo Viterbienſi parerent, atque illi *ſpeciali unioni* acquieſcerent: quam juſte Romæ Judice Cavalerio XII viro Stlitibus judicandis in petitione Vicarii Generalis cauſſa ceciderint, & quamvis paullo poſt reſponſum fuerit ambas Eccleſias eſſe *unitas æque principaliter*, id tamen indicta Cauſſa factum eſt, *una tantum*, ut ajunt, *parte informante*. Certe ſuſpicor, ſi noſtri huic judicio affuiſſent, & litteras Innocentii, & Leonis proferre potuiſ-

tuiſſent, in quibus exultant Tuſcanellenſes, futurum fuiſſe ut longe aliud in iis controverſiis, aliiſque poſtea exortis tempore Cardinalis Muti, & Brancatii judicium ferretur, quum tota, ut diximus, ex Innocentii privilegio *honorificentia*, quam Tuſcanienſis Sedes habuerat, Viterbienſi fuerit confirmata, ſolum Bledenſis, & Centumcellenſis Eccleſiæ ſtatu in ſuo jure permanente; & Viterbienſis Comitatus fines, loca, ac nomina ea ipſa ſint, quæ Tuſcanienſibus Epiſcopis aſſignantur.

Hæc de noſtris Epiſcopis dicta ſint ſatis: ex quibus videmus veriſſima eſſe ea, quæ in Leonis, & Innocentii litteris leguntur: Nam Tuſcanienſes dicebantur Antiſtites, quia totum Tuſcaniæ, ſeu Etruriæ noſtræ tractum adminiſtrabant. Dicti ſunt etiam Viterbienſes, quia Beterbon etſi unius partis antea nomen erat, poſt interitum tamen multorum Oppidorum, & poſt noſtrarum Urbium conjunctionem à Deſiderio factam, quod eſſet Vox, quæ ad Germanicam linguam propius accedere videbatur, ut multi docent cum Gaudentio Merula, plurimum valuit. Veræ ſunt igitur Antiſtitum ſubſcriptiones, qui modo Tuſcanienſes, modo Viterbienſes ſe nuncupabant, quia noſtra Urbs Tuſcania, ſeu Etruria dicta eſt ab antiquo, & quum ex multis oppidis conſtaret, tandem veluti contracta fere illa omnia intra nova Viterbi Mœnia complexa eſt. Veriſſima etiam ſpecialis illa *Unio* cum Eccleſia Tuſcanienſi, quia Viterbum nova veluti Urbs exiſtimata eſt à quibuſdam, poſtquam unis Mœnibus fuit circumdata, adeoque an Viterbienſis dici deberet Epiſcopus

pus in dubium vocari poterat à nonnullis. Ea de cauſſa omnes Tuſcanienſis Eccleſiæ honores veluti in unum collecti confirmantur, ſalvis tamen juribus Centumcellenſis, & Bledenſis nulla Tuſcanellæ habita ratione.

SERIES

Epiſcoporum Viterbienſium, ſeu Tuſcanienſium.

ANno Chr: XCVIII. Ptolemæus Tuſcaniæ Epiſcopus ex Vetuſto MSS., quod citat Leo Caſella de Tuſcorum Origine, quodque videtur ſecutus Card: Baronius in primis Annalium editionibus, atque in Autographo pag. 433 in Bibliotheca Vatic. Hic in Nepeſinæ Eccleſiæ Monumentis Pentapolis quoque Epiſcopus dicitur, ni fallor: Si Decapentapolis ea ſcripta forte habuiſſent, & noſtram Etruriam XV populorum intelligi, & omnem tolli ambiguitatem hujus Pentapoleos, quæ à nullo antiquo Scriptore commemoratur, ſine ulla dubitatione concluderem.

Anno 306 Epiſcopi vices S. Eutychius, opinor, gerebat, ut ex actis SS. Valentini, & Hilarii Martyrum, atque ex iis S. Demetrii ab Henſchenio laudatis confirmatur. An idem ſit cum Eutychio presbytero, qui Ferenti fuiſſe legitur in actis SS. Graciliani, & Feliciſſimæ, atque ex S. Gregorii libro tertio dialogorum, homines eruditiores viderint.

Anno DXC Urbanus Epiſcopus ſubſcribit Concilio Romano ſub S. Gregorio Magno: *Ego Urbanus S. Tuſcanenſis Eccleſiæ Epiſcopus*. Apud P. Labbe. In editione Operum ejuſdem S. Doctoris ſtudio Eruditis: PP. S. Mauri Virbonus pro Urbanus Epiſcopus, Civitatis Fuſcanen. pro Tuſcanen. legitur.

Anno DCXXXXIX Maurus Epiſcopus ſubſcribit Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *Ego Maurus S. Tuſcanenſis Eccleſiæ Epiſcopus*. Apud Labbe.

Anno DCLXXX Vitalianus Epiſcopus: Subſcribit Epiſtolæ Agathonis Papæ in VI Synodo Conſtantinopolitana actione IV vide to. 2 Conciliorum Generalium edit. Coloniæ

anno 1530 apud Petrum Quentell. & quinq. Codices MSS. Vatic. à num. 1324, & præſertim Græcus MSS. num. 834 p. 46 Ἐκκλησίας Τουησκης, ideſt Eccl. Tuſcæ Epiſcopus.

Anno DCCCXXVI Gaudemundus Epiſcopus reperitur in Concilio Ro: vide additamenta ad Ughellium to. 10

Anno 850 Epiſcopi Vices obibat *Bertrandus Archipreſbyter Cathedralis* Viterbienſis, qui Papæ Vicarius etiam dicitur in Lælii Annalibus MSS. à Petro Corretino ſæpe laudatis. Cathedra ſine Epiſcopo intelligi non poteſt.

Anno DCCCLIII Virbonus Epiſcopus. Huic data fuit Epiſtula à Leone Papa IV, in qua Epiſcopii loca enumerantur. Vide Baluzium in Editione Epiſtolarum Innoc. III.

Anno DCCCLIII eodem Joannes Epiſcopus Tuſcanenſis in Concilio Ro. ſub Leone IV, & poſtea ſub Nicolao. Vide additamenta ad Ughellium in Epiſcopis Tuſcanienſibus to: X, & Benedictum Bacchinium in Appendice ad Agnellium: Subſcripſit Excommunicationi latæ à S. Leone eodem contra Anaſtaſium Presbyterum S. Marcelli, ut videre eſt ex Cod. Vatic. 1342 in fine.

Anno 875 Epiſcopi Vices-gerebat Gerardus noſtræ Eccleſiæ *Cathedralis Archipresbyter*, ut teſtatur Lælius Viterbienſis in Annalibus MSS. Vide Corretinum in præfatione.

Anno DCCCLXXVI Johannes Tuſcanienſis Epiſcopus in Romana Synodo ſub Johanne VIII. Coacte ſubſcripſit etiam ſententiæ contra Formoſum Pontificem, ut conſtat ex Actis apud Mabillon. in Muſæo Ital. par. 2. Fuit Legatus ejuſdem Johannis Pontificis in Concilio Pontigonenſi ex to. 9 Concil. pag. 285, quod notat etiam Harduinus in Not. ad Plin. librum tertium Cap. V.

Circa Annum 890 Leo Sapiens Imperator, qui ſcripſit notitiam Epiſcopatuum, ut jam adnotavimus, refert quoque Οὐιτερβητὸν. i. *Viterbiton*: ſed Epiſcopi nomen non recenſet.

An-

Anno CIↃXV B. Epiſcopum hoc tempore fuiſſe Viterbienſem ſolum prima nominis littera indicata notat Lælius in ſuis Annalibus: Synodum habuit teſte eodem.

Anno CIↃXXXIII Bonizo deſignatus Epiſcopus Tuſcanenſis: Anno inſequenti ſubſcripſit diplomati Benedicti IX: Tuſcanellenſis ſcriptus videtur in Synodo Leonis IX in Baſilica S. Salvatoris in Laterano anno 1049. Hoc tempore G. Epiſcopus Viterbienſis refertur à Lælio in Autographis ad Annum 1036, qui vel idem eſt tum Bonizo, & binominis fuit; vel ſi diverſus, jam tum aliquæ inter Viterbienſes, & Tuſcanellenſes diſſentiones diſtinctum Epiſcopum fecerant, ut poſtea iterum etiam accidit: Hunc partes Benedicti IX ſequutum narrat idem Lælius, ſicut de Bonizo adnotarunt Ughelliani.

Anno CIↃXXXXIX Johannes Epiſcopus, qui poſtea ad Sedem Portuenſem tranſiit, ut notant Auctores additamentorum ad Ughellium in Portuenſibus, & Tuſcanienſibus. Epiſcopus Viterbienſis per hæc tempora enumeratur in Catalogo Epiſcoporum, quem refert Cardinalis Baronius, atque alii, ut jam diximus.

Anno CIↃLXXX Giſelbertus Epiſcopus T. legitur in inſcriptione erectionis Canoniæ S. Mariæ Novæ Viterbi. Vetrallæ etiam, ni fallor, in templo S. Franciſci.

Anno CIↃLXXXVI Riccardus Epiſcopus Tuſcanenſis legitur in Inſtrumento Emphyteutico Eccleſiæ Tuſcanellenſis, ut teſtatur Primicerius Barbaccius in Autographis.

Anno CIↃLXXXVI eodem legitur Raynerius Epiſcopus Tuſcanienſis in ſimili inſtrumento teſte eodem.

Anno CIↃLXXXXII Riccardus Epiſcopus Viterbienſis in Archivo S. Angeli de Spatha, ut teſtatur etiam Abbas Ughellius. In Altari S. Petri Tuſcanellæ anno poſteriore Riccardus *Præſul Tuſcanus*, *Centumcellicus*, *atque Bledanus*. Triennio poſt Lælius noſter Urbanum ſecundum magnifice excepiſſe Viterbium venientem narrat.

Anno CIↃCVIII N. Epiſcopus Tuſcanenſis in inſtrumento Tuſcanelli ſubſcribit teſte Franciſco Jannotto cum Priore Centumcellenſi Alfonſo Guidotto donationi cujuſdam fundi ad Templum ædificandum.

Anno CIↃCX Rodulfus Gattus Epiſcopus. In inſtrumento S. Angeli in Vado, quod vidit Ughellius, Epiſcopus Viterbienſis ſcribitur. Ad Henricum V Imp. noſtram Urbem ingredientem orationem habuit teſte Gotifredo in ſuæ Patriæ Chronicis: idem narrat quoque Rodulfum à Viterbienſibus miſſum ad Gelaſium II, ut ſummæ Cathedræ honorem ei gratularentur, quod & notant additamenta ad Ughellium.

Anno CIↃCXXVI Petrus Tuſcanus Epiſcopus ſubſcribit Bullæ Honorii II apud Ughellium in Piſanis, ubi tamen numerus annorum variat. Biennio poſt in libro S. Stephani, ut videmus in Archivo noſtræ Cathedralis Petrus Ep. Viterbien. dicitur: In Templo S. Franciſci ad Forum Caſſium Petrus Tuſcanus, quod notat Seraphinus de Antiquo Foro Caſſii, ſeu Vetrallæ. Innocentium II, & Lotarium Imp. excepit ſummo cum honore Viterbum venientes teſte noſtro Gotefrido in Annalibus.

Anno CIↃCXXXX N. Epiſc. Tuſcanenſis in inſtrumento Donationis legitur factæ à Rectore S. Savini apud Tuſcanellum.

Anno 1142 Pro Epiſcopo præerat Azo Archipresbyter ex Bulla Innocentii II in Archivo S. Laurentii, qui Eccleſiam Viterbienſem in ſua, & D. Petri Protectione ſe ſuſcipere dicit, quod & confirmat Gotifredus in Chronicis. Triennio poſt Eugenius tertius apud nos ſedem poſuit, & Templum S. Michaelis Archangeli de Spatha dedicavit, ut teſtatur ibi inſcriptio pulcherrima.

Anno CIↃCXXXXIX Genſones Epiſcopus ab eodem Eugenio electus. Hadriano IV Viterbi ſedente ſummum obſequium exhibuit: In inſtrumento S. Stephani, atque alibi teſte Ughellio Viterbienſis Epiſcopus dicitur: Ad S. Johannem

in

in Valle An. 1161 *Ego C. Epiſcopus Tuſcanenſis condidi has reliquias*, quod & notavit Jannottus part. 3. Paſchali Pſeudo-Papæ, quem Fridericus Viterbium adduxerat acerrime reſtitit. Is hortatus eſt Viterbienſes, ut Ferentum diruerent, quod ab Eccleſia noſtra deſciverint, Antipapæ, atque hæreſi adhæſerint: ſubſcripſit Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III teſte Ughellio Ego *Gen*. Ep. *Viterbienſis*: Aſt editio Harduini Cencium Epiſcopum Tuſcanienſem nominat: forſan ſubſcriptio utroque modo facta eſt in diverſis Seſſionibus, quam hinc, atque hinc Vuillelmus Tyrius, aliique ſunt expiſcati. Certum eſt in Epiſtola Alexandri tertii ejuſdem Anni 1179, quo Concilium Later. celebratum eſt, ad Tuſcanellæ Archipresbyterum Epiſcopi Diœceſani mentionem fieri, qui alius niſi Viterbienſis eſſe non poterat, ut notat Ughellius.

Anno 1181 Ægydius Archipresbyter pro Epiſcopo præſidebat, ut teſtatur Epiſtula Alexandri III, qui Viterbi ſedit, ubi adprobavit regulam S. Auguſtini pro Canonicis S. Mariæ Novæ. Ægydius poſtea Lucium III Roma fugientem excepit.

Anno CIƆCLXXXIV Gotifredus Tineoſus Epiſcopus, ut teſtatur etiam Raphael Volaterranus libro XXII Antropol., ſed poſſeſſionem non adiit Aulæ Imperatoriæ diſtentus officiis. Is Hiſtoriam texuit, quam Pantheon inſcripſit, ex quo deſumptæ videntur lectiones, quæ in ſecundo Nocturno Dedicationis Baſilicæ S. Salvatoris leguntur: *Ritus Conſecrandi* &c. Epitomen Viterbienſis Hiſtoriæ edidit, & alia anecdota. Quidam Vitembergenſem hunc faciunt: contra quos plura proferre poſſemus, ſed hoc non agimus. Clariſ. Anton. Muratorius nuper Viterbio aſſeruit in Præfatione ad ejus Chronicon to. 7 Scriptorum Rerum Italic. pag. 349. Videatur Cencius Camerarius in Bibl. Vat.

Anno CIƆCLXXXVIII Joannes Epiſcopus Tuſcanenſis teſtis

fuit

ſuit Sententiæ datæ ab Henrico VI pro Cœnobio S. Pauli Romæ. Vide additamenta ad Ughellium.

Anno CIↃCLXXXXII Raynerius Epiſcopus Viterbienſis propria manu me ſubſcripſi: Sic legitur in Inſtrumento Archivi S. Laurentii. Cœleſtinum III venientem excepit.

Anno CIↃCLXXXXIII Johannes Cardinalis Epiſcopus ſubſcriptus reperitur Viterbienſis, & Tuſcanenſis. Verum Johannes Biterbienſis ſolum dicitur Romæ in Inſcriptione Conſecrationis S. Laurentii in Lucina 1196: Innocentium III excepit, qui cum XIV Cardinalibus templum S. Marci ſacravit prope noſtrum Capitolium, ut habet Inſcriptio ab Ughellio relata: Poſtea Epiſcopus Albanenſis eſt renunciatus.

Anno CIↃCIC Raynerius Epiſcopus Viterbienſis, ſic appellat Innocentius III libro X Epiſt., cui etiam datæ ſunt litteræ in Cap. Raynutius de Teſtamentis, ubi *Epiſcopo Tuſcano* tantum legimus. Præſul Tuſcanus in Inſcriptione Tuſcanelli, quam referimus ad verbum, quia nuper in Cathedra Setina manca edita eſt.

Virginis & Matris Regis Cæleſtis honore
Raynerius Præſul Tuſcanus convocat octo
Nonus Pontifices: tenuit mora nulla vocatos
Conveniunt, ſacrantque locum ſolemniter iſtum
Petrus Sutrinus, Caſtellanuſque Romanus,
Et Nepeſinus Girardus, & Urbevetanus
Matthæus, Ortanuſque Joannes, ac Vicuanus
Ille Suanenſis, Burgundio Balneoregienſis
Nec Rolandus abeſt Caſtrenſis, & hi ſimul omnes
Cum fide continua fiſi, pietate Tonantis
Sanctorum meritis indulgent omnibus his, qui
De ſibi collatis à Chriſto participare
Eccleſiam Dominæ facient hanc quatuor annos
Pro peccatorum venia cuicumque ſuorum:
Sit tantum in cura poſitis confeſſio pura;

An-

Annus erat Chriſti ſextus cum mille ducentis
Octobris ſexta, ſed non de fine dierum:
Tunc celebrata manent ſacrati tempora feſti:
Hæc Petrus Prior Eccleſiæ cum fratribus ejus
Cœpit, perfecit in honorem Dei Genetricis.
Hæc eſt ergo Pia juvet illum Virgo Maria. Amen.
Forte tuos oculos lector hæc carmina lædent
Parce precor peccant ſi pede lapſa ſuo.

Corneti quoque paullo poſt dedicavit templum B. Virginis cum eiſdem fere Epiſcopis, niſi quod Amelienſis etiam adfuit, & Groſſetanus, & Narnienſis, qui duo aſſenſum remiſſionis, ut ait inſcriptio, hoc eſt indulgentiarum per litteras dixerunt, cum venire non potuiſſent. Hic Epiſcopus à noſtra Urbe dono accepit Caſtra Balneariæ, & Palenſanæ.

Anno CIↃCCXXIII N. Epiſcopus inter conſecratos ab Honorio III ex Reg. Vaticano: *D. Papa Honorius conſecravit Epiſcopos Conventienſem, Viterbienſem, Eſculanenſem, Papienſem* cetera.

Anno CIↃCCXXXIII Nicolaus Epiſcopus Viterbienſis, cui Gregorius Nonus Eccleſiæ Palenſanæ reditus conceſſit ad reſtaurandam Eccleſiam collapſam: *Venerab. Fr. Epiſcopo Viterbienſi* ex Reg. Vaticano. Hic ex Cathedra Caſtellana ad Viterbien. translatus eſt, ut conſtat ex diplomate Papæ ejuſdem in Archivo noſtræ Cathedralis.

Anno CIↃCCXXXV Matthæus Epiſcopus factus ab eodem Gregorio Viterbi ſedente, ubi bullam de Stigmatibus Sancti Franciſci edidit, atque alia, quæ videri poſſunt apud Petrum Corretinum. Matthæus Noſocomium prope Cathedralem evertit, ut Epiſcopium amplificaret, & aliud ædificavit in Valle Calumba.

Anno CIↃCCXLIII *Raynerius* Patriæ Epiſcopus, & Cardinalis ex Ordine Ciſtercienſium. Hic præeunte B. Virgine Cœnobium S. Dominico præſenti conſtruxit, & Eccleſiæ

non

non multo ante ducens exercitum Montem Flaſconem cœpit, & Templum S. Martini ſplendide ædificavit in Montibus.

Anno CIↃCCXLIV Scambius de Scambiis Viterbienſis gentis Electus Epiſcopus ab Innocentio IV Friderici Cæſaris ſævitiam fugiens cum pleriſque Viterbienſibus in Caſtrum Palenſanæ ſe recepit.

Anno CIↃCCLII Alferius antea Epiſcopus Allifanus Diœceſanum Synodum celebravit: Pauca de hoc leguntur, quia Alexander, & Urbanus IV diu apud nos conſederunt. Alexander dedicavit Templa SS. Trinitatis PP. Eremitarum S. Auguſtini, & S. Mariæ ad Gradus PP. Dominicanorum, ut inſcriptiones teſtantur. Urbanus IV in noſtra Cathedrali S. Riccardum Epiſcoporum Ciceſtrenſem in Sanctorum numerum retulit.

Anno CIↃCCLXIII Philippus Epiſcopus ex Inclyto Ordine Prædicatorum legitur in litteris Pontificiis ad Priorem, & Canonicos S. Mariæ Novæ Viterbi. Per hæc tempora Urbanus IV, Clemens IV, Gregorius X, Hadrianus V, Joannes XXI, Nicolaus III, Martinus IV Viterbi ſederunt. Hadriani Sepulcrum pulcherrimum conſpicitur in templo S. Franciſci, & Clementis IV ad S. Mariam ad Gradus.

Anno 1280 Rogerius ex Ordine eodem electus à Fernandez refertur, ſed adhuc vivebat Philippus, quare unum eundemque fuiſſe opinor, qui Philippus Rogerius dictus ſit.

Anno 1284 Epiſcopi Vices geſſit Lituardus Nepeſinus Antiſtes Patrimonii Vicarius Generalis ex Inſcriptione S. Petri Tuſcanellæ, ubi altare dedicavit.

Anno CIↃCCLXXXVIII Petrus Capoccius Viterbien. antea Epiſcopus Anconitanus; huic parere recuſarunt Tuſcanellenſes, ut vidimus ex litteris S. Cœleſtini V. Tranſtulit lipſana SS. Martyrum Valentini, atque Hilarii in Eccleſiam Cathedralem reperta prope Aruntes Camillarios, ubi occiſi fuerunt.

an-

Anno 1304 Rufinus Strettus Epiſcopus refertur à Fernandez, aliiſque, qui ajunt fuiſſe ex Ordine Prædicatorum, ſed Superior Capoccius vivebat.

Anno 1312 Paganus Petra Sancta refertur ſimiliter à Paulo Morigia, ſed eundem Capoccium ad Annum 1313 vixiſſe certum eſt.

Anno CIↃCCCXIII Joannes Epiſcopus antea S. Petri in Vaticano Canonicus: tribus poſt annis hoc onus dimiſit. Hoc tempore etiam Tuſcanellenſes ſe ab Epiſcopi obedientia ſubtraxerunt.

Anno CIↃCCCXVIII Angelus Tineoſus Epiſcopus. Duas Synodos celebravit alteram Corneti, alteram Viterbi. Joannes XXII ei reparationem Eccleſiæ Lateranenſis mandavit. Clerum Tuſcanienſem, & Cornetenſem reluctantem compoſuit, ut videre eſt ex Margarita Corneti pag. 130. Miraculorum D. Thomæ quæſitor fuit cum Archiepiſcopo Neapolitano: Monaſterii de Ocra adminiſtrator ex diplomate Roberti Regis apud Mutium Phæbonium lib. 3 Hiſtor. Marſorum. Silveſtri Gatti tyrannide, qui Ludovicum Bavarum excepit, Viterbio ejectus eſt. Hujus tempore portentum illud horribile accidit, cujus memoriam inſcriptio Antiquæ Portæ Quadriaeræ, quam retulimus Cap. XXIV, & annua ſupplicatio cum Imagine noſtræ Urbis argentea, ac vetere pictura nobis ſervarunt, quum dæmones per aera volitantes noſtræ Civitati excidium, æternaſque pœnas humana veluti voce minitabantur, & Beatiſs. Virginis præſentis ſingulari, ac divino beneficio liberati fuimus.

Anno 1328 Pandulfus Capoccius Viterbienſis Ludovico Bavaro, & Gattis adnitentibus Pſeudoepiſcopus eſt factus, dum Angelus abeſſet: In Iſtrumento S. Mariæ ad Gradus Epiſcopatus adminiſtrator dicitur: Nicolaum Pſeudopapam excepit, à quo Cardinalis eſt factus. Franciſcus Jannottus l. 2 pag. 31 in Autographo ſcribit in Archivo S. Mariæ Novæ Viterbii Bullam reperiri Anni 1337, in qua legi-

tur Antonius Epiſcopus Tuſcanienſis : fortaſſe Angelus fuit ſupradictus, vel aliquis Pſeudoepiſcopus.

Anno CIƆCCCXLI Petrus Epiſcopus ex ceſſione Angeli Tineoſi, ſed vix anno expleto obiit, rediitque ea dignitas ad renunciantem.

Anno CIƆCCCXLIV Bernardus de Lacu Gallus, antea Patrimonii Rector: Rector, & Epiſcopus dicitur in litteris, quibus conſtituit Caſtellanum Arcis Horchiæ. A Cola de Rienzo Roma expulſus eſt, dum Clementis VI res adminiſtraret.

Anno 1347 Oddo de Oddonibus Viterbien. Tuſcanellæ Primicerius pro Epiſcopo eligitur. Cappellanum S. Catharinæ Vetrallæ inſtituit, & Priori S. Stephani Conciones publicas impoſuit, ut teſtatur Corretinus.

Anno CIƆCCCXLVIII Joannes antea Epiſcopus Forolivienſis ante poſſeſſionem aditam moritur. Legitur in Regeſt. Vatic. 205.

Anno CIƆCCCXLVIII eodem Petrus Pincis Beneventanus à Forolivienſi pariter translatus, deinde ad Veronenſem, Petragoricenſem, tandem ad Beneventanam gradum fecit.

Anno CIƆCCCL Nicolaus Epiſcopus antea Prior S. Angeli de Spatha. Vichiorum ſævitiam fugiens in Monte alto ad Graviſcas conſedit, & Synodum habuit; Urbanum V ex Galliis redeuntem excepit, ut refert noſter Nicolaus Gubelluzzius in MSS.

Anno CIƆCCCLXXXV Jacobus Epiſcopus antea Provinciæ Quæſtor Clementi Antipapæ, Pileoque Pſeudocardinali fortiter reſtitit, eaque de cauſa mortuus eſt.

Anno 1390 Pileus Pſeudoepiſcopus Clementis Antipapæ Sectator.

Anno 1391 Lucidus de Niceſia Pſeudoepiſ. ab eodem Clemente, cui Sectatorem ſe præbuit Joannes Sciarra Vichius. In Archivo S. Mariæ Novæ ſe Epiſcopum ſcribit Clementis Papæ VII.

An-

Anno CIƆCCCXCI Jacobus Viterbienſis Epiſcopus : poſtquam à Lucido quies nata eſt ſedit, & Innocentium VII, Gregorium XII, & Johannem XXIII excepit. Hic ſuorum prædiorum dimidium largitus eſt noſtræ Baſilicæ Vatic., ut conſtat ex antiquo Menologio ejuſdem.

Anno CIƆCCCCXX Jacobus Ugozzolinus Nobilis Viterbien. Jacobi quondam Vicarius Martinum V, & Sanctum Bernardinum excepit, qui ex ſuggeſto lapideo apud Fratres Minores Conventuales S. Franciſci in Platea compluries verba fecit, ſicut antea S. Thomas ex alio ad S. Mariam Novam, quorum utrumque adhuc ſervatur, & colitur.

Anno CIƆCCCCXXIX Johannes de Caranzonibus Epiſcopus. Sigiſmundo Imp. obviam ivit, dum Viterbio tranſiret: Eugenium IV excepit, qui in Cathedrali Sacra fecit: deinde Nicolaum V noſtras Thermas adeuntem. Duobus poſt annis Fridericum IV Imper. Cum Epiſcopo Hortano Apotheoſi S. Virginis Roſæ præficitur : Pium etiam II excepit. Inter hæc nempe Anno 1435 Balneoregienſis Eccleſia cum noſtra (ad breve tamen tempus) conjuncta fuit: quum Eugenius IV terram Corneti, quæ ut idem ait in Bulla dat. Floren. uſque in præſens fuerat Viterbienſis, & Tuſcanienſis Diœceſis, avulſit, & cum Monte Flaſcone conjunctam Cathedram eſſe voluit.

Anno CIƆCCCCLX Petrus Viterbienſis Epiſcopus antea Archipresbyter S. Sixti : Pio II venienti ad noſtras Aquas Cajas obviam proceſſit. poſtea Fridericum iterum Romam petentem ſummo honore affecit. Franciſcus Jannottus in MSS. par.2. pag.31 citat Bullam Anni 1472 ; ubi ſcribitur Laurentius de Urſinis Ep. Tuſcanienſis Card. Camerarius.

Anno CIƆCCCCLXXII Franciſcus Maria de Sacellonibus Mediolanen. ex Ordine Minorum. Adfuit Canonizationi, ut ajunt, S. Leopoldi, ut refert Jo: Broccardus. Vetrallæ B. Virgini Altare ſacravit. Cantalicius huic commentaria

Mm 2 in

in Perſium dicavit teſte Fabricio in Biblioth. Lat.

Anno CIƆCCCCLXXXII Johannes Baptiſta Epiſcopus Viterbienſis Franciſco adhuc vivente reperitur in Archivo S.Laurentii Anno 1482 & 1487: Immo etiam Raphael Cardinalis de Riariis Commendatarius eodem Franciſco de Sacellonibus vivente.

Anno CIƆCCCCXCII Matthæus Cybo Genuenſis Epiſcopus Carolum Francorum Regem cum Cardinali Farneſio, qui poſtea Paulus III dictus eſt, excepit, & non multo poſt Alexandrum VI.

Anno CIƆCCCCLXXXXII Raphael de Riariis Cardinalis S. Georgii dicitur Epiſcopatus Viterbienſis perpetuus Commendatarius in Archivo S. Laurentii, ut diximus: poſtea Epiſcopus vere factus eſt, ut ex Archivo Cathedralis 1498 videre eſt: Deinde Epiſcopus Albanenſis, & Oſtienſis. Per hæc tempora præſente Alexandro VI Statuæ Cybelis, Jaſii, aliæque repertæ ſunt in Cybellaria teſte Franciſco Alberti, & Lælio de Manfredis in Autographis, ut jam indicavimus.

Anno 1505 Raymundus Perauldi Cardinalis à Garimberto dicitur falſo noſter Epiſcopus. Solum Viterbi mortuus eſt: erat enim noſtræ Urbis legatus.

Anno CIƆDVIII Octavianus de Riariis ex ceſſione Raphaelis Cardinalis: excepit Julium II, & Fatium Sanctorium Cardinalem Viterbienſem ad B. Virginem ſupra Quercum venientes. Lateranenſi Concilio bis interfuit.

Anno CIƆDXVII Ægydius Cardinalis ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini Viterbi natus, ut ipſe teſtatur in Epiſtola MSS. ad Epiſcopum Caſtrenſem: qua de re videri poteſt Ciacconius. Excepit Leonem X ad B. Virginem à Quercu dictam venientem: & Equites Hieroſolymitanos Rhodo profugos, qui diu noſtram Urbem incoluerunt. Clementi VII etiam obviam ivit, qui totum menſem apud nos conſedit, & multa ſanxit. Hunc in Cœlum extollunt

Po-

Politianus, Sadoletus, Pontanus, Jovius, aliique: Sannazarius Poema elegantiſſimum de Virginis Partu illi dicavit, quum illius concionibus ad meliorem frugem ſe recepiſſet: Calepinus illi ſuum dictionarium, ut videmus ex Epiſtola præfixa, quam refert Cangius in præfatione ad Lex. Mediæ, & infimæ Latinitatis pagina quadrageſima tertia.

Anno CIↃDXXXII Nicolaus Rodulfus Cardinalis Leonis X Sorore natus, antea Florentinus, Forolivienſis, Imolenſis, ac Salernitanus Epiſcopus. Literatorum fuit Mæcenas: Paulum Tertium & ipſe excepit, qui Viterbi Reginaldum Polum Legatum totius Urbis, ac Provinciæ Patrimonii Legatum dixit, atque Ordinem Equitum Lilii inſtituit: poſtea Nicolao Urbis Veteris, ſeu Orbiti Cathedram commiſit.

Anno CIↃDXXXIV Joannes Petrus de Craſſis Epiſcopus hic ab Ughellianis ponitur ex ceſſione Cardinalis Rodulfi: à Petro Corretino præponitur. Eruditione claruit, ut teſtatur Manutius in Scholiis ad Tuſculanas quæſtiones Ciceronis, & Petrus Devarius in Epiſtola ad Alexandrum Farneſium, quam præfixit ad Opus rariſſimum Matthæi Devarii de Græce linguæ particulis.

Anno CIↃDXXXVIII Nicolaus Ugolinus Epiſcopus antea Canonicus Florentinus. Hic quoque debito honore venientem Paulum III proſequutus eſt.

Anno CIↃDLI Sebaſtianus Gualterius antea Archidiaconus Urbevetanus. Julium Tertium excepit. A' Pio IV Nuncius in Galliam miſſus eſt: Concilio Tridentino interfuit, atque in eo geſta deſcripſit.

Anno CIↃDLXVI Johannes Franciſcus Gambara Cardinalis à S. Pio V Epiſcopus Viterbienſis electus. Cathedralem reſtituit: S. Carolum Borromæum excepit, cujus ſuaſu Noſocomium aliud magnificentius extruxit. Diœceſanam Synodum habuit, poſtea adjutor ei datus eſt....

An-

Anno CIƆDLXXVI Carolus Montilius Caſalenſis Johannis Franciſci Cardinalis adjutor ex Archiepiſcopo Amalphitano : Illi dum ſacraret celeberrimum Templum S. Mariæ ad Quercum adſtitit, quod paullo poſt Gregorius XIII inviſit. Diœceſanum Synodum celebravit. Fuit Apoſtolicus Viſitator Civitatis Alexandrinæ, & Legatus ad Ducem Florentinum. A' Clemente VIII in Gallias miſſus moritur.

Anno CIƆDLXXXXVI Hieronymus Mattheuccius Firmanus antea Raguſinus, & Sarnenſis Antiſtes ab eodem Clemente ad noſtram Cathedram translatus, quem poſtea Viterbum venientem honorificentiſſime excepit.

Anno CIƆDCIX Lanfrancus Margotius Parmenſis Cardinalis Vir Maxime Eruditus à Paulo V Epiſcopus Viterbienſis eligitur, ſed ad nos non venit.

Anno CIƆDCXII Tiberius Mutus Romanus antea Canonicus S. Petri, poſtea Cardinalis S. Priſcæ. Plures Synodos habuit. Lis fuit de Vicario Generali inter illum, & Tuſcanellenſes, qui coram Cavalerio cauſa ceciderunt. Eccleſiam Sacrarum Virginum Ciſtercienſis Ordinis dedicavit, & PP. Capuccinorum.

Anno CIƆDCXXXVI Alexander Cæſarinus Cardinalis : Seminarii Viterbienſis prima veluti fundamenta jecit : duobus poſt annis Pontificali muneri renunciavit.

Anno CIƆDCXXXVIII Franciſcus Maria Brancaccius Cardinalis olim Epiſcopus Caputaquenſis : Synodum celebravit : Librum eruditiſſimum diſſertationum edidit, & de cocolatis potu obſtetriciam manum admovente Dominico Magrio Theologo noſtræ Cathedralis. Epiſcopus poſtea Portuenſis factus Cathedram filio fratris tradidit.

Anno CIƆDCLXX Stephanus Brancaccius Cardinalis Franciſci Nepos, ut diximus. Antea Epiſcopus Hadrianopolitanus in Aula Romana multa, & præclara munia obivit: ad Magnum Florentię Ducem Nuncius fuit Alexandri VII. Diœceſanas Synodos habuit.

An-

Anno CIↃDCLXXXVIII. Urbanus Sacchettus Romanus ab Innocentio XI. Cardinalis S. Nicolai in Carcere, poſtea Presbyter S. Bernardi ad Thermas eſt factus, Synodum habuit. Cum morborum pertinacia detineretur Viterbienſi Cathedræ nuncium remiſit.

Anno CIↃDCCI. Andreas Santacrucius Romanus Cardinalis S. Mariæ de Populo Archiepiſcopus Seleucienſis primum ad Regem Poloniæ, poſtea ad Cæſarem Nuncius miſſus. Hic inſigni in pauperes miſericordia enituit.

Anno CIↃDCCXII. Michael Angelus de Comitibus Cardinalis antea noſtræ Urbis, & Provinciæ Gubernator omnes domos, & vias renovavit: Multa ſigna è Cybellaria cum Etruſcis Characteribus eruit: Noſtræ Eccleſiæ renunciavit, & paullo poſt ſummo cum omnium plauſu Summus Pontifex electus fuit.

Anno CIↃDCCXVIIII Hadrianus Sermatthæus Aſſiſias antea Epiſcopus S. Dondini. Hujus etiam tempore pulcherrimum, atque Antiquiſſimum Opus Muſivum inventum eſt ad Fanum Volturnæ in Viridario Illuſt. Familiæ de Buſſis: Statuæ etiam cum Etruſcis Characteribus, & multa munumenta pulcherrima aliis in locis: Nuper Synodum frequentiſſimam habuit, & Lipſana SS. Martyrum Valentini, & Hilaris cum oſſibus etiam S. Gemini in locum honorificentiorem tranſtulit pompa, & ſumtu magnificentiſſimo totius Diœceſis Clero præſente.

IN-

INDEX.

A

A In E commutatur. 13
Aborigines unde 9. Græci fortaſſe ex Italia orti. 151
Acta SS. Martyrum Valentini, & Hilarii vera. 165. 208
Adriaticum ab Urbe Hadria Tuſcorum. 23
Ægydius Cardinalis Viterbien. Epiſ. 274
Ægydius Archipreſ. Viterbienſis Proepiſcopus. 265
Ælianus 1197. Urbes in Italia fuiſſe teſtatur. 192
Æneas ad Tuſcos venit 43. Tuſcaniam, & Fanum Volturnæ petiit. 79
Africa Ager prope Faventiam. 147
Agathonis Papæ Epiſtula emendata de Vitaliano Epiſcopo Tuſcano non Tuſculano. 263
Ager Tuſcanellenſium antea Tarquinienſium. 39
Agri ab Urbibus ſingulis dicti. 28
Agylla quid ſignificet. 75
Albertus Leander de Etruria. 12
Alferius Epiſcopus Vit. 270
Amæria in Etruria. 47. 113
Ameria prope Tiberim. 61
Amerinum. 61
Ammianus de Vvlcano Inſ. in Turrhenia. 24
Amſancti Valles cur ſedes Cocyti dicta. 76
Anaſtaſius Bibl. Civitatem Viterbum vocat. 245
Anaſtaſius de finibus Tuſcianenſibus. 252
Annia Gens ex Etruria. 49. 89
Annius Jo: cum Dempſtero comparatus. 3
...... de Agylla laudatus. 74
...... de Vadimone. 58
...... de Fano Volturnæ. 85
...... de Foro Annii. 89
...... Vetuloniæ Etymon ignoravit. 121
Antonius Epiſcopus Tuſcanien. 272
Apis Taurum ſignificat. 182
Apronianus Turcius. 211
Aquæ Taurinæ ubi. 182. 184
Aquæ Veſicariæ Viterbienſes. 209. 211
Aram Ram dictus cur. 19
Arbea, ſeu Arbanum in Tuſcis 133., quod etymon habeat. Ibidem.
Arcadia à Barbaris primum habitata. 151
Ariſtophanis Scholiaſtes de Sabis. 167
Arimathia idem ac Ramathaim. 19
Ariſtoteles ſcripſit de Etruſcorum inſtitutis. 198
Aruntes Camillarii. 45. 154
Arx Iti ſeu Blaſconis. 46
Aſconius de Tribu Lucerum. 137
Aſſium 45. Ubi. 98
Aſſuriorum mos in Urbibus condendis. 42
Athenæ Tetrapolis, & Decapentapolis. 41
Athur, & Aſſur idem 13., quid ſignificet. 159
Athyr bos ſecundum Heſychium. 159
Athyrin ludere ſignificat. 160
Atlas Italus 150. ejus nomina. 149
Atlantes quot. 150
Attis, Corybantes, Sabatius non Græci. 151
Atura Urbs in Galliis unde. 169
Auctor de Morte Perſecutorum de Magiſtratibus contra SS. Martyres. 208
Auctores qui Viterbi antiquitatibus favent. 5
Auctores de Limitibus de Etruria. 51
Avernæ undæ Viterbi. 55
S. Auguſtinus de Carthaginienſibus Chanani dictis. 166
Auguſtinus Anton. Livium negligentiæ inſimulat. 136
Auſdonia nunc Anſidonia diruta ubi. 177
Auſonius de Larte Aremorico. 169
...... de Tarracone. 25
...... de Lucumone Samio. 169
Azo Archipresbyter Viterbien. Proëp. 266.

B

Bacchana vide Sabbatia.
Baccius de Thermis, & äere Viterbien. 70
Balnearia, & Palenſana à Viterbienſibus Epiſcopis donatæ. 269. 251
Balneoregium pro Balneum Regis. 163, cum Viterbien. Eccl. conjunctum. 273

Barbaranum non eſt Marturanum. 249
Barbaranum à quo conditum. Ibidem.
Barbari qui? 203
Benacus cur Ludius dictus. 149
Benedictus VIII de Comitatu Viterbien. 249
Benedictus XIII multos honores Viterbio impertit. in Procemio.
Benedictus Falaritanæ, & Caſtellanæ Epiſcopus. 259
S. Bernardini ſuggeſtum Viterbi. 273
Bertrandus Vicarius Cathedralis Viterbien. ante annum milleſimum. 264
Beſſarion Card. de Aquis Viterbien. 55
Beterbon nunc Viterbum Vox antiquiſſima. 163
Beterbon quid ſignificet. 165
Blanchinus Franc. de Muſivo Opere Viterbi. 86
Blanchinus, & Fontaninus de Antiquitatibus, quæ in Territorio Viterbien. reperiuntur. 157
Blancus Dom. de Locis Diœceſis Viterbien. 252
Blaſco Itus, & Cambo dictus. 168
Bledanum Territorium in Epiſtola Leonis. 4. 234
Bonamicus Arretinus de Inſcriptione Spurinæ Vetulonienſis. 119
Bonizo Epiſc. in Synodo Leonis IX 265
Borghinius Vincen. laudatur 4. reprehenditur de Civitate Etruriæ. 29. 170
Brancaccius Fran. Maria Cardin. Epiſcopus. 274
Brancaccius Stephanus Cardin. Epiſcopus. 274
Bulſinus Lacus ideſt Vulſinien. à Leone IV commemoratus. 232
Burgundio Epiſcopus Balneoregien. 268

C

CAcus Legatus ad Etruſcos. 25
Cæcina Volturrenus non Volaterranus. 97
Cæcina cujus gentis fuerit. 101
S. Cæleſtini Pa. Epiſtola contra Tuſcanellenſes. 239
Cære à quibus conditum, & quid ſignificet. 75
Cære ex XII Vrbibus Etruſcis non fuit. 187
Cæretani diverſi ſermone ab Etruſcis. 39
Cæretani Dictatorem habuere. 207
Cæritis amnis qui, & ubi. 80
Cæſar de Helvetiorum Pagis. 41
Cæſarinus Alex. Cardin. Epiſcopus. 276
Caja quid ſignificet. 66
Cajæ Aquæ calidæ Viterbi celeberrimæ. 65
Calvellum ubi. 51
Cambo Electri Atlantici Colonia Tuſcorum. 168
Camertes Umbri in Hetruria. 35
Camertes iidem ac Cluſini. 180
Cameſene unde dictum. 14
Camillarii Aruntes dicti. 45
Campana Via in Faliſcis. 258
Campi Etruſci Regio. 147
Campi Latini Regio. 147
Capella Mart. de Etruriæ regione. 43
. . . . . de Æneæ fœdere cum Tuſcis. 79
. . . . . de nominum impoſitione. 164
Capita Etruria Civitates quæ, & cur. 79
Capitolinus de doliis in Etruria. 49
Capitolium Viterbi. 52
Capoccius 270. Pandulfus Pſeudoep. 271
Caranzonibus Jo: de Epiſcopus. 273
Cardoinus Ful. de Præſulibus in Actis SS. Martyrum. 208
Carolus Craſſus Imp. de Comitatu Viterbienſi uſque ad Mare. 250
Carthago Chanaam dicta cur. 166
Caſaubonus de Statonia reprehenſus. 115
Caſtrenſe Territorium à Leone IV commemoratum. 234
Caſtrum, & Caſtellum Urbem ſignificant. 244
Caſtrum Herculis Viterbi. 219. 130
Caſtrum Turrhenæ ubi. 46
Catalogus Epiſcoporum ſub Victore II laudatus. 255
Cathedralis ſine Epiſcopo intelligi non poteſt. 264
Celenus Oppidum prope Viterbum. 154
Cemmeni Montes in Galliis. 169
Cenſorinus de diuturnitate Imperii Tuſci. 26
Centumcellenſes alias Centumcellas condunt. 259
Ceres cum Cybele eadem. 29
Ceſenius Lento Etruſcus. 34
Cethim in S. Litteris Italiam ſignificat. 14
Cham Ham non dictus. 14
Chanani Pœni dicti. 166
Chimentellus de Magiſtratibus quarundam Urbium. 209

Chri-

Chriſtianus Archiep. Moguntinus. 222
S. Chriſtina Tyrenſis. 184
Cicero de Caſſia Via Etruriam ſecante. 34
..... de Tagere. 48
..... de Etruria. 50
..... de Cecina Etruſco explicatus. 100
..... de Tuſcis barbaris. 203
Ciminia pars Italiæ cur ſic dicta. 214
Civitates ſua quæque Numina habebant. 84
Claudius Imp. de Etruſcis ſcripſit. 198
Clemens Alex. de Curetibus. 15
Clodius Civitatem Etruriæ vaſtat. 5
Cluſini an ex XII Urbibus Etruriæ. 189
Cluverius Strabonem non intelligit. 41
..... de aquis Tuſcis. 62
..... de Coriti Urbe reprehenſus. 83
..... de Vetulonia reprehenſus. 107. 115
..... de tranſitu Cimini. 17
..... de Tuſcanienſibus excuſatur. 217
..... de Deſiderii decreto reprehenſo. 142
..... tria contra idem decretum oppo-
nit. 145
..... de Aquis Taurinis reprehenſus. 183
..... de Metropoli Etruſcorum lauda-
tus. 193
Cœlia gens Etruſca. 90
Cœlius Mons Romæ à Cœlio Tuſco. 84
Coloniæ XII Etruriæ à Turrheno dedu-
ctæ. 186
...... quæ fuerint incertum. 187
Coloniæ, & Tribus Ro. in Hetruria. 203
Comes, & Comitatus quid ſignificent. 246
Comitatus Viterbienſis 247. 249
Comitibus Michael Angelus de lauda-
tus. 157
...... Cardinalis Epiſcopus. 275
Concilium VI ſub Agathone correctum. 27
Concilium Ro. ſub S. Gregorio emenda-
tum. 263
Conradus Imper. de Comitatu Viterbien-
ſi. 249
Conſtantinus Imp. de Suburbicariis. 206
Conſules in Civitatibus Italiæ circa annum
milleſimum. 221
Corgnetanenſe Territorium à Leone IV
commemoratum. 228
Coriti Populi, atque Urbes. 48
Coritus Urbs an extiterit. 45. 83
Coriti Urbes extremæ quæ apud Virgi-
lium. 82
Coritus Electræ conjux. 151
Cornetum à noſtra Diœceſi divellitur. 273
Cornetum à quo conditum. 250
Cort-Enebra Oppidum in Tuſcis. 45
Cort-Noſſa Oppidum Etruſcorum. 45
Cort-Noſſa, & Cort-Enebra. 33
Cortona Urbs in Umbria vetere. 3. 37
...... non fuit Coritus. 82
...... an ex XII Urbibus Etruriæ fue-
rit. 189
Cortonenſes Helleſpontiaca lingua uſi. 83
...... diverſi Sermone ab Etruſcis. 39
Corybantes ſtrepitu utebantur in Sacris. 22
Craſſis Jo: Petrus de Epiſcopus. 275
Croton vide Cortona.
Cruſtumeni ubi. 96
Cupræ Fanum Etruſcorum. 24
Curetes unde dicti. 15
Curetum Sacerdos Coen dictus. 16
Curetes Antiquiſſimi ubi culti. 21
Curetes progenitores Etruſcorum. 15. 152
Cybellarii locus in Agro Viterbien. 155
Cibele cujus filia 155. unde in Phrygiam
profecta. 156
Cybo Matthæus Epiſcopus. 274

D

DÆmones Viterbio excidium minitan-
tur. 271
Dardanum Oppidum in Tuſcis. 46
Dardanus unde diſceſſerit. 151
Decius Filius ubi ſe devoverit. 178
Dempſterus Tho. de Etruria Regali multa
peccat 1. & ſequen.
..... de Avernis. 56
..... de Faliſcis reprehenſus. 190
Deſiderii decretum defenditur 140. multo
ante Annium deſcriptum, & viſum. 142
Diluvium Deucalionis primum creditum
falſo à Græcis 152. cum Noetico con-
fuſum. Ibidem.
Dio de Turrhenia. 127
Dionyſius de Roma Tyrrhenica. 26
.... de Cortona in Umbria laudatus. 37
.... de Capite in Tarpejo invento, & de
Legatione ad Etruſcos. 53
.... de Urbibus vicinis. 53. 41
.... de Tribubus primis Romæ. 137
.... de Rege Etruſcorum. 196
.... de Vetulonia. 115
Donzellinus Alexand. de Roda, & Civi-
ca. 174
Dujazius de Umbris in Hetruria. 36

E

E In A commutatur. 13
Eccleſia Tuſca. 27
Eccleſiæ Viterbien. & Tuſcanellenſis conjunctio unde, & quare credita. 257
Egelidus fluvius nunc Freddano. 44. 82
Electra Atiantis Itali filia. 150
Eprhee Vaphres dictus, & Apries. 19
Epiſcopi in Urbibus, quæ Præſides habebant, conſtituebantur. 222
Epiſcopi Sedem mutare non poſſunt. 237
Epiſcopi Viterbienſes ante Cœleſtinum III 237. 255
Epiſcopi Viterbien. cur Tuſcanellum habitarint. 240
Epiſcopi Viterbien. plures ſimul. 272. 274
Epiſcopi novem in dedic. S. Mariæ Tuſcanelli. 268
Epiſcoporum Sedes ad normam Civilis adminiſtrationis. 223
Equites Hieroſolymitani Viterbi conſidunt. 274
Etruria quaſi Athuria 11. & ſequen.
Etruria Civitas XV Oppida habuit. 45
Etruria cur Sedes Agyllina dicta à Virgilio. 78
Etruriæ etymon non eſt derivatum à Græcis. 2. 11
Etruriæ ſignificatio triplex 23. & ſequen.
Etruriæ Capita varia, & quare. 193
Etruriæ Metropolis una, & fixa. 193
Etruſci unde orti 10. Lydi dicti ibid.
Etruſci Lydorum, & Curetum progenies. 15. 22
Etruſci artificioſis in rebus præſtantiſſimi. 87
Etruſci Reges non habuerunt. 195
Etruſci ſæpe exteros in Lartem eligebant. 197. 189
Etruſci in quam Tribum Ro: conjecti. 205
Etruſcorum Imperium quam latum 24. & ſeq.
Etruſcorum Vires terra marique ibid.
Etruſcorum Antiquitas. 152
Euſthatius de Averno in Tuſcis. 57
S. Eutychius Presbyter Viterbi. 263

F

FAbius Max. primus Ro. Ciminum ſuperat. 32
Fabius, & Fabii hoſtes Etruſcorum. 105
Fabrettus Raph. decretum Deſiderii defendit. 142
Fabricius Georg. de Aquis Viterbienſibus. 55
Faleriorum etymologia. 19
Faliſci ab Etruſcis diverſi, & diſtincti. 63. 100
Faliſci ex XII Etruſcis Urbibus non fuerunt. 190
Faliſci aliam Urbem ejuſdem nominis condunt. 252
Fanum Volturnæ ubi. 85
S. Felix Martyr Sutrii ſub Turcio Apr. 211
Ferentum 52. Viterbienſis ditionis 253. cur à noſtris dirutum. Ibidem.
Feſcennium unde dictum. 6
Feſcennium in Campania à Servio poſitum. 258
Feſtus de Luceribus. 131
..... de Etruſcorum inventis. 138
Flaminius M. Ant. de aëre Viterbienſi. 70
S. Flavianus Mar. ubi occubuit. 183
S. Flaviani Corpus ubi 232. à Leone IV laudatum. Ibidem.
Florentia an ſemper ſteterit. 172
Florentia ſeu Florentinum in Tuſcis. 46. 52
Florus de XV Populis Tuſciæ explicatus. 49
..... de Cimini ſaltu. 213
Fluentini an Florentini. 171
Focechium unde dictum. 43
Fontaninus Ju: de Tribu Arnienſi. 48
..... in Bibliotheca Aquilejenſi MSS. laudatus. 28
Foranum unde dictum 8. quid ſignet. 249
Forum Clodii. 50
Forum Annii ubi. 89
Forum Caſſii à S. Leone IV. commemoratum. 129
Forum Ciminium. 90
Franci unde, & cur ſic dicti. 173
Frumentum ex Tuſcis Tiberi Romam advectum. 39
Fundis, & alibi Praëtores fuere. 211

G

GAbii Urbs in Campania ſecundum Servium. 258
Galli, & Umbri unde dicti. 15
Galli etiam tempore Deſiderii ſic appellati. 173
Gambara Jo: Fran: Cardinalis Epiſc. 257
Gaudemundus Epiſcopus. 264
Geneſis in Etruſcorum Libris expreſſa. 16
Genſones, ſeu Cencius Epiſcopus. 266
Gerardus Archipresbytes Cathedralis Viterbien. ante annum milleſimum. 264
Girardus Epiſcopus Nepeſinus. 268
Giſelbertus Epiſcopus. 265
Goar Jacobus Dominicanus laudatus de Viterbi Epiſcopatu ante annum milleſimum. 258
Gotifredus Viterbien. à quibuſdam Vitembergenſis creditus in Procemio.
Gotifredus Viterbien. de Thermis ſuæ patriæ. 55
Gotifredus Epiſcopus. 267
Gradus, ſeu Gradum in Campania ſecundum Leonem Imperatorem. 258
Græci erga Italos invidi. 153
Gratius Poeta de Faliſcis à Tuſcis diverſis. 191
Graviſcæ in Agro Tarquinienſi. 39
S. Gregorius Civibus Tuſciæ ſcribit. 27
...... de Thermis Taurianis. 184
...... de Cathedrali mutanda. 241
Gregorius IX Bullam de S. Franciſci Stigmatibus Viterbi edidit. 269
Gruterus de Praëtore Tiburtium &c. 211
Gualterius Sebaſtianus Epiſcopus. 275

H

HAdrianus Cardinalis de Balneis Viterbien. 55
..... de Via Cimina 218
Hadrianus, & Leo Pontifices pecuniam percuſſerunt. 172
Hellanicus de Turrheniæ Conditore. 28
Helvetiorum mos in condendis Urbibus. 8
Hercol vox primæva quid ſignificet. 8
Herculis Templum Viterbi. 129
Herodotus Umbros in Hetruria ponit. 38
Hetruria cum adſpiratione pro tota Provincia uſurpatur ad diſtinctionem, & claritatem. 26
Hetruria ſub Regibus Ro: ne ad Arnum quidem perdomita. 49
Hetruria Bello Punico in Provinciæ formam redacta. 201
S. Hieronymus laudatus de Etruſcorum Origine. 11
SS. Hilarii, & Valentini MM. corpora quando, & ubi reperta. 270
Hippocrates de Aquis calidis ſententia. 71
Homerus Theſſalos non nominat. 77
Holſtenius Lucas Deſiderii Decretum defendit. 142
.... ad L lapidem calculos 50. male explicat. 209
Horatius laudatus de ſimplicitate in ſcribendo. 96
.... de Africa Staberiorum explicatus. 147
.... de imponendis novis nominibus. 164
.... de Praëtore Fundorum. 211
Horchia vide Orcle.
Horchia Dea Etruriæ. 46. 51
Horchia in Territorio Viterbienſi. 248

I

JAcobus Viterbien. Auguſtinianus Archiep. Neapolitanus S. Thomæ Auditor. in Procem.
Jacob Dominicanus Epiſcopus. 272
Jacobus Epiſcopus Baſilicæ Vatic. multa largitur. 273
Jannottus Franc. de Volturna reprehenſus. 91
...... de Oppidis Viterbi confutatus. 133
...... Tuſcanellum Etruriam falſo dicit. 216
Janus antiquior Græcis Diis 11. 152. unde dictus. 186
Jeconias Conias dictus. 19
Indulgentiæ conceduntur ab Epiſcopis in Conſecratione Eccleſiarum Tuſcanellæ, & Corneti. 268. 269
Innocentius III Epiſtolam ad Viterbienſes ſcribit. 223
..... Viterbii Templum S, Marci ſacravit. 268
Inſcriptio Viarum Clodiæ, Anniæ, Caſſiæ &c. 8. 218
...... de Etruſcis à Vejentibus diverſis. 31

... de

..... de Etruria XV populorum. 42.
..... in tegula Sepulcrali de Voluſirena &c. 88.
..... de Cœlio Lartis filio, & Foro Ciminio. 90.
..... de Henrico Imperat., & Porta Sonſa. 97.
..... de Spurina Vetulonienſi. 119.
..... de Tuſcanello Saleumbrona &c. 216.
..... de Sorrinenſibus ideſt Turrhenis. 125.
..... de Ethura ideſt Etruria Civitate. 128.
..... de Deo Hercule Viterbi. 130.
..... de Porta Quadriæra. 141.
..... de Quaterno Populo Etruſco. 156.
..... de Paleologis Viterbio oriundis. 163.
..... de Valerio Agricola. 202.
..... de Tarquitio Etruſco. 204.
..... de Afriſenio Vero. 205.
..... de Conſulibus Viterbienſibus Anni DCCCCLI. 221.
..... de Portu Montis Alti Viterbien. ditionis. 251.
..... de dedicatione S. Mariæ Tuſcanelli. 268.
Inſcriptiones Etruſcæ per totam Italiam inveniuntur. 24.
Joannes Epiſcopus in Ro: Synodo ſub Joanne VIII. 264
Joannes Epiſcopus in Concilio Ro. ſub Leone IV. 264.
Joannes Epiſcopus. 267. 271
Joannes Epiſcopus poſtea Portuenſis. 265
Joannes Card. Epiſcopus Lombardus dictus. 256
Joannes Epiſcopus Ortanus. 268
Joannes Epiſcopus antea Forolivienſis. 272
Joannes Bapt. Epiſcopus cum alio Epiſcopo vivente. 274
Joſeph Hebr. de Lud Etruſcorum Patre. 11
Iſidorus de Velete Hetruriæ Urbe. 117
Iſis cum Serpentibus in Capite pingebatur. 85
Iſocrates de Oppidis Athenarum. 42
Italiæ nomen ubi inceperit. 147
Italus unde dictus. 122
Italus quis 147. 158. quid ſignificet. 148
Itis vox Tuſca quid ſignificet. 151
Juppiter Etruriam diviſit. 51
Jus Pontific. ab Etruſcis derivatum 138. 200
Juvenalis de Corita, ſeu Corito Urbe. 83
Juvenalis de Poteſtate Magiſtratu Fidenatium. 207

L

LAcu Bernardus de Epiſcopus. 272.
Lacus Vadimonis prope Viterbium. 57
Lacus Magnus Italiæ Vulſinienſis 159. 124. 149
Lælius Viterbien. Epiſcopos ante annum milleſimum ponit. 244
Lambinus de Aquis Avernis. 56.
Lanuvium Dictatorem habuit. 207
Lapides Capitolini de Etruſcis. 32
Lars Aremoricus, Viridomarus cur dictus. 169
Latinus Latinius Annium falſo inſimulat. 5. 156
..... de Lucumonio. 89
Lavinium, Laurentum, & Laurolavinium dictum. 163.
Lectiones Dedicationis Baſilicæ S. Salvatoris ex Gotifredo Viterbienſi deſumptæ. 267
Leo Philoſopus Imp. Viterbium inter Sedes Epiſcopales enumerat. 258. 264
S. Leonis IV. Epiſtula ad Virumbonum Epiſcopum. 225
Lictores XII ab Etruſcis. 137
Ligurnus unde dictus. 112
Lingua Etruſca ab Hebraica derivata. 6
Lituardus Nepeſinus Epiſcopus. 270
Livius de Clauſtris Etruriæ. 29
.... de Nepeſinis diverſis ab Etruſcis. 31
.... de Umbris in Etruria 35., & ſeq.
.... de Vejentibus ab Etruſcis diverſis. 31
.... de Graviſcana Colonia. 39
.... de Frumento ex Etruſcis advecto. 39. 40
.... de Faliſcis diverſis ab Etruſcis 63. 190. 191
.... de Situ Vadimonis expenſus. 64. 58
.... de Etruria Principe. 78
.... de Liciniis. 101
.... de Volturrenis reſtitutus. 92
.... de Fano Volturnæ. 93
.... de Longula Etruriæ explicatus. 125
.... de Arbea illuſtratus. 135
.... de Aſylo. 139
.... de Sentinatibus expenſus. 180
.... de Rege apud Etruſcos. 195
Loca plura Antiquiſſima in Agro Viterbienſi. 47
Longula ubi. 124

Longula Volſcorum à Viterbienſi diverſa. 126
Luceres unde dicti. 134
Lucianus Attem, Sabatium &c. græcos eſſe negat. 151
Lucilius de Muſivis operibus. 87
Lucretius de Avernis Tuſcis. 54
Lucumo unde Romam venerit. 131
Lucumo Samius apud Auſonium. 169
Lucumones cur inſani putati. 22
Ludi ab Etruſcis inventi. 160
Ludus, & Athur. 13. 160
Luna Urbs Carraria dicta. 8
Lycophron de Tuſcania, & Aquis Calidis. 79
Lycophron de Piſſa à Piſis diverſa 81. de adventu Æneæ in Tuſcos. 43
Lydi Ludi dicti. 11. 12
Lydi Barbari apud Plautum qui. 202
Lydi Turrigeni à Rutilio noſtri dicti. 212
Lycomedi vide Luceres.
Lyncheus Fluvius nunc Caldano. 44. 82

M

MAcrobius de Jure Pontificio Etruſcorum. 200
Mæcenas an Cæcinæ conſanguineus. 102
..... an Cilniæ gentis. 104
Mæones unde dicti 12 hebraice Lud. Ibid.
Mæonia, ſeu Mænianum in Tuſcis. 46
Maffejus Scipio laudatus de Italis 13. De Cortona. 38
Magiſtratus diverſarum Urbium 207. 208. & ſeq.
Magliabecchius Anton. Annium laudat. 9
Magrius Dom. de Vicohorchiano. 51
.... de Fano Volturnæ laudatus. 85
Manfredis Lælius de laudatus. 157
Manutius Decretum Deſiderii refert. 142
Marcellinus Am. de Ciminia parte Italiæ. 214
.... de Caſtello Pariſiorum. 244
Marcellus Medicus de Aquis Tuſcis. 209
Marcus Card. Vetulonienſis dictus. 106
Margozius Lanfrancus Card. Epiſc. 276
Mare Magnum Tyrrhenum dictum à Leone IV. 234
Marta Fluvius à Leone IV commemoratus 226. 228
Martana Inſula Viterbien. ditionis. 253
Martana Inſula à Leone IV commemorata. 232
Martanum Territorium ab eodem commemoratum. 231
Martialis de Bajis in æſtate. 69
Maſſa Ant. de Etruriæ limitibus. 32
.... de Vico-Horchiano. 51
Matthæus Epiſcopus. 269
Matthæuccius Hieronymus Epiſcopus. 276
Matthæus Epiſcopus Vrbevetanus. 268
Maurus Epiſcopus. 263
Maximianus Poeta de Etruria. 28
Metropolis Hetruriæ quæ Urbes putatæ. 193
Metropoles Veteres tria, vel quatuor Oppida ſimul habebant. 94
Metropoles Hetruriæ variæ 1. quare. 189
Mezentius Lartes Etruriæ. 78
Milo à Ca: Annio adoptatus. 50. 205
Minio Fluvius à S. Leone IV commemoratus. 228
Mons Altus ab eodem commemoratus. 228
Mons Blaſconis, ſeu Flaſconis. 46. 232
...... Arx Iti dictus. 46
...... inepte Faliſcus dictus. 242
...... cur Epiſcopium dictus. 243. 250
...... à Raynerio Card. captus. 270
Montilius Carolus Epiſcopus. 276
Montfaucon de noſtro Pavimento. 86
Monumenta Antiquiſſima Viterbi. 156
Muratorius Antonius de Gotifredo Viterb. 267
Muſiva opera ante Sullam. 87
Muſivum Opus Viterbi repertum. 86

N

NArdinus Fani. laudatus 7. de Clauſtris Etruriæ reprehenſus. 30
Necromantia Tuſcorum. 57
Nepet Scorpium ſtemma habet. 8
Niceſia Lucidus de Pſeudoep. ſe Epiſcopum ſcribit in Archivo S. Mariæ Novæ. 272
Nicolaus Epiſcopus. 269
Nicolaus Epiſc. in M. Alto Synodum habet. 241. 272
Noe filii in Curetibus adumbrati. 16
Noriſius Card. de Numinibus particularibus. 84
Numatianus de Piſis. 112
..... de Thermis Taurianis. 185
..... de Tuſcia Annonaria. 212

O

OBſequens Jul. de Tuſcis. 34
Oddonibus Oddo de Proepiſc. 272
Oenotri unde dicti. 186
Opitergium, & Gradum in Campania ſecundum Leonem Imp. 258
Orbitenſis Epiſcopus. 174
Orbitum, Vrbiventum, Urbs Vetus. 174
Orclanum Territorium in Epiſ. S. Leonis IV. 234
Orcle Civitas apud eundem. 129
Otho III de Comitatu Viterbienſi. 249
Ovidius de Antiquitate Curetum. 15
..... de Vertumno. 91
..... de Jano, ſeu Vertumno. 116. 153

P

PAlæologi unde. 162. 166
Palæologus Michael Vetulonien. 107
Palenſanus Vicus à Leone IV commemoratus. 230
Palenſanum à Viterbienſibus donatur Epiſcopis. 251
Palephatus de Scylla in Turrhenia. 24
Paſſeris Aquæ in Tuſcis. 54
Paſſionæi Dom. Bibliotheca. 73
Paterculus Velle. de Theſſalis. 77
Paulus Diac. de Gallis. 173
Paulus III Viterbien. in Procemio.
Pauſanias de Theuta. 81
Pelaſgi Theſſali quæ Oppida habitaverint. 43
Pelaſgi à Phaleg. 75
Pelaſgi nomen commune pluribus populis. 75
Pelaſgi Tyrrheni, & Pelaſgi Theſſali diverſi. 75
Pellegrinus Camil. de Aquis Avernis. 56
..... de Metropolibus. 111
Pentapolis Epiſcopus S. Ptolemæus. 263
Perauldi Raymun. Viterbi Legatus. 274
Peruſiæ etymologia ab Hebræis. 7
Petitus Samuel de Suburbicariis. 206
Petra Sancta Dux Mediolanen. 176
Petra Sancta Oppidum ante Fanum Feroniæ. 174
Petrus Epiſcopus Sutrinus. 268
Petrus Epiſcopus. 266
Petrus Viterbien. Epiſcopus. 273
Peutingeri tabula recens, & parum exacta. 61
Pileus Pſeudoep. 272
Pincis Petrus Epiſcopus. 272
Piſæ in Hetruria. 112
Piſæi Piſas condiderunt. 43
Piſarum Conditores qui crediti. 81
Piſo apud Macrobium de Vitula. 123
Piſſa Urbs à Piſis diverſa. 43. 81
Pitiſcus Samuel Livium reprehendit. 137
Plinius de Umbria, & Telamone. 37
..... de Aſſyriorum Oppidis. 42
..... de Capite in Tarpejo invento. 52
..... de Troſſuli Oppido in Tuſcis. 52
..... de Muſivis Operibus ſub Sulla. 87
..... de Picturis Cæretanis antiquiſſimis. 88
..... de Volturrenis reſtitutus. 93
..... de Vejentanis expenſus. 95
..... de Averno. 60
..... de Licinio Cæcina. 101
..... de Aquis Vetulonienſibus. 112
..... de Lartio Licinio jura reddente. 209
..... de Faliſcis Etruſcorum. 192
Plinius, & Strabo non omnia Oppida referunt. 89
Poetæ finitimas gentes confundunt. 89
Pollidorus Petrus laudatus. 93
Polybius de Camertibus. 180
Pompejus Se. de Arbeæ Rege emendatus. 131
..... de Attalia, ſeu Italia. 160
Pontifices Max. qui Viterbi conſederunt v. totam Seriem Epiſcoporum præſertim. 270
Populonia ex XII Urbibus Etr. non fuit. 188
Porcheronius de Aquis Populonien. 109
..... de Ætate Anonymi Ravennatis. 161
Porta Quadriæra Viterbi. 141
Pherecrates de Artibus Etruſcorum. 87
Pheſcennium v. Feſcennium.
Philelphus Silium corrigit de Cortona. 83
Phocenſes in Hetruria 43. ad Oppidum Focechium. 171
Prædia Amærina in Tuſcis. 47. 59
Præſides in Urbibus Romæ vicinis 207., & ſeq.
Prætor aliquando Magiſtratus minor. 210
Prætor Etruriæ quæ Oppida rexerit. 220
Prætores habuit noſtra Etruria. 42
Prætoria apud Propertium quid. 137
Proconſules, & Proprætores Hetruriæ. 201

Pro-

Proconſules in Actis SS. Martyr. 207. 208
Propertii, & Plinii loca de Volturrenis. 94
Propertius de Vertumno, & focis Vulſiniis. 89
..... de eodem. 91. 116
..... de Luceribus. 135
Proprætores Hetruriæ. 201
Provincia pro adminiſtratione Urbis. 213
Provinciæ ſolum extra Italiam. 214
Ptolemæus de Corito Urbe defenſus. 83
..... de Vetulonia defenſus. 107
S. Ptolemæus Epiſcopus Tuſcaniæ. 263
Pyrgi ex XII Urbibus Etru. non fuerunt. 188

Q

QUi ad ſcribendum de Antiquitatibus Urbium aptus ſit: in Procem.
Quintiis Camillus de. De Aquis Cajis Viterbienſibus. 73

R

R, & S apud Hebræos, & Chaldeos commutantur. 18
Raſeni cur Tuſci dicti. 14
Raynerius Epiſcopus. 265. 268
Raynerius Cardinalis Viterbien. Epiſc. 269
Rector Etruriæ. 213
Reges Etruria an habuerit. 1
Reges apud Etruſcos non fuerunt 195. ſolum belli tempore creati. Ibidem.
Regio quid ſignificet. 27
Regis Villa ubi. 43
Rhodius Jo: de Aquis Viterbienſibus. 210
Riariis Octavianus de Epiſcopus. 274
Riariis Raphael de. 274
S. Riccardus Epiſc. Ciceſtren. Viterbi in numerum SS. relatus. 270
Riccardus Epiſcopus Viterbien. ante Cæleſtinum. 111. 224
Riccardus Epiſc. 265. Alius ibidem.
Rituales Etruſcorum libri. 26
Roda, & Civica Balneoregii. 174
Rodacofanum quando ædificatum 176. ubi. 177
Rodulfus Nicolaus Card. Epiſcopus. 275
Rolandus Epiſcopus Caſtrenſis. 268
Roma Etruſcis tributum pependit. 26
Roma cur Urbs Turrhenica dicta. 26
Roma vox hebraica, atque Etruſca. 137
Roma ante Romulum. 158
Romani adoleſcentes Etruſcis literis erudiebantur. 197
Romanus Epiſcopus Caſtellanus. 268
Romulus ab Etruſcis auxilium popoſcit. 25
S. Roſa Virgo triennis mortuum in vitam revocat. in Procem.
S. Roſæ Apotheoſis Epiſcopis Viterbienſi, & Ortano committitur. 273
Roſcius Julius de Lacu Vadimonis. 57. 64

S

SAbbatia Bacchana dicta. 167
Sacchettus Urbanus Card. Epiſc. 275
Sacellonibus Franc. de Epiſcopus. 273
Sacra Aruntia Tuſcorum. 46
Sacra Etruſca. 59
Sacra Nuptialia ab Etruſcis inventa. 66
Saleumbrone locus. 38
Salmaſius de etymo Pelaſgorum. 75
Salutis Templum in Tuſcis. 52. 113
Samnium Urbs, & Provincia. 27
Sancta Crucius Andreas Card. Epiſc. 275
Sardiani Etruſcorum conſanguinei. 43
Sardiani Neocori fieri petunt. 139
Scaliger Jo: de Vadimone. 58
Scambius Epiſcopus. 270
Scambius Epiſc. Viterbien. Palenſanum ſe transfert. 241
Scribonius de Thermis in Tuſcis. 209
Scribonius reſtitutus. 209
Scriptores qui de Etruſcis tractarunt. 198
Scymnus Chius de Turrhenia Urbe. 28. 38
Sedes Principum Etruriæ fixa. 2
Sedes Agyllinæ Urbis quid apud Virgilium. 74
Sedes Cocyti cur Amſancti Vallis. 76
Sedes Itaceſia cur Bajæ. 76
Sedes Turrhena cur Arva Lavinia. 76
Semus Pater Thuræ, ſeu Aſſur. 18
Sentinates in Hetruria. 177
Sermatthæus Hadrianus Epiſcopus. 277
Servius de Poetis Urbes confundentibus. 90
..... de Vertumno reſtitutus. 91
..... de Tiberi Rege Arbanorum. 132
..... de Lucerum origine. 135
..... de Curiis, & tribubus Mantuæ. 138
..... de Sacris Aruntiis reſtitutus. 154
..... de Etruria Metropoli. 194
..... de Lucumonibus, ſeu Tuſcis. 196
..... de Caſtro Inui. 244

..... de Feſcennio, & Gabiis in Campania. 258
Sex faſces Proconſulum ornamentum. 212
Siculi Falerium, & Feſcennium habitarunt. 148
Sigonius de Tribubus topicis. 137
..... Decretum Deſiderii laudat. 142
..... de Nomine Italiæ. 146
..... de Provinciali adminiſtratione. 214
Silius Italicus de Lydis illuſtratus. 13
..... de Tarcona emendatus. 82
..... de Cortona emendatus. 83
..... de Cilnio, ac Mæcenate. 104
..... de Vetulonia expenſus. 110
..... de Nepet. 120
..... de Porſenna auxilium præbente Tuſcis. 189
Sixtus Senen. de Cham. 16
Solonium ubi. 115
Sonſa Porta Viterbi unde dicta. 97
Sorrinenſes vide Turrhenenſes.
Soſtratus de libris Tyrannicorum 20. 24. 198
Spartianus de Cejonio Etruſco. 49
..... de Hadriani prætura. 207
Spurina Etruſcus Adoleſcens. 44
Spurinarum familia. 119. 204
Strabo, ſeu Strato de Cupræ Fano. 24
..... de Urbibus contiguis in Tuſcis. 41
..... de Aquis Cajis. 71
..... de Aquis Cæretanis. 72
..... de Tullio libertatem Tuſcis concedente. 90
..... de Populonia. 109
..... de Capua in mediterraneis. 111
Statuæ Cybeles, Jaſii &c. repertæ. 274
Stemmata ab Antiquo an in uſu. 7
Stephanus de Civitate Etruriæ. 28
..... de Axio Urbe in Tuſcis. 45
Succunium in Ciminia parte Italiæ. 170
Suidas de Tyrrhenia. 16
Surreni, & Sorrinenſes idem ac Tuſcanienſes. 18. 19. 124
Sutrium ſub Urbis Præfecto. 211
Symmachus de Aquis Calidis Tuſcis. 71
..... de Rectore Etruſco. 213

T

TAbula Peutingeriana. 210
Tacitus de Conſanguinitate Tuſcorum cum Sardianis. 43
..... de Ferento 52., & Templo Salutis. Ibidem.
..... de Lydorum Legatione. 139
Tages in Tarquinienſi ortus. 48
Tarquinia vide Tarquinum.
Tarquinienſes an ornamenta Romanis dederint. 120
Tarquinienſis Lacus Vulſinienſis. 33
Tarquinum à S. Leone IV. commemoratum. 228
Tarquitia gens Etruriæ. 204
Tarquitius Tuſcus Scriptor. 199
Tarraco Tyrrhenica dicta. 25
Taurianæ Thermæ, & Aquæ Taurinæ diverſæ. 183
Terentius Corrector Vulſiniis. 212
Thebris, Thybris, Vehebris dictus. 195
Theophraſtus de Tyrrhenis ſcripſit. 198
Thermæ Taurianæ ubi. 183
Theſſali in Hetruria quæ oppida habitarint. 43
Theſſali recentis originis. 77
Thetios templum in Tuſcis. 53
Thucidides de Tyrrhenis bilinguibus. 25
Thuras idem atque Athur. 18
Thurii taurum ſtemma habuerunt. 8
Tiberis Rex Arbanorum. 131
Tiberis ſic appellatus ante Albam. 132
Tibullus de Aquis Cajis. 65
Tibur, & aliæ Civitates Prætores habuerunt. 211
Tineoſus Angelus Epiſcopus. 271
S. Thomæ Aquinatis ſuggeſtum Viterbii. 273
Torebus Lydus. 13
Torebus, ſeu Terbus quis. 165. 167
Torebi etymon tentatum. 186
Tribus primæ cur topicæ dictæ. 137
Tribus, Curiæ &c. inventum Etruſcorum. 138
Tribus quædam binomines. 205
Tribus Pomptina Etruſcis data. 205
Tribus Papia Etruſcis Civibus data. Ibidem.
Troſſulum ubi. 40. 51
Tudernum in Tuſcis. 52
Turas, & Italus idem. 18. 159
Turnebus de Thermis Viterb. correctus. 55
Turrhenia, & Turrhini ab Athur. 17
Turrheni, Turſeni, Tyrſini, Turſani &c. 18
Turrheni ab Hercule originem jactabant. 129

Turſanus Ager in Aremoricis. 169
Tuſcanellenſium Ager Tarquinienſium erat. 39
Tuſcanellenſes Epiſcopo Viterbien. parere recuſant. 239
Tuſcanellum non eſt Tuſcania, ſeu Etruria. 217
Tuſcanellum Colonia Viterbienſium. 250
Tuſcanellum Epiſc. non habuit. 254
Tuſcani, Tuſcanienſes Synonyma. 18
Tuſcania, ſeu Etruria quando Municipium. 202
Tuſcanienſes Epiſcopi multo poſt Cæleſtinum III ſic ſubſcripti. 272. 273
Tuſci quid ſignificet. 53
Tuſci barbari apud Ciceronem qui. 203
Tuſci Rus Plinii. 114
Tuſcia Suburbicaria quæ. 206
Tuſcus unde dictus. 19
Tuſcus, Truſcus etiam dictus. Ibidem.
Tyranni, & Turanni ab Athur, & Etruſcis. 19
Tyrenſes ubi. 184
Tyri Lacus Martis dictus cur. 167
Tyrrhenus XII Urbes condidit. 186
Tzetzes de Italis. 148

V

V Littera præpoſita multis nominibus. 123
Valerius Max. de Spurina Etruſco. 44
..... de eodem, & Civitate Etruſcis data. 204
Valeſius Had: de Barbaris. 203
Varentani apud Plinium. 95
Varro de Thermis in Tuſcis. 54
..... de Vertumno Etruriæ Deo. 84
..... de Tribu Lucerum ex Tuſcis &c. 134
..... de Lucerum nomine. 134
Ubertus Fatius de Aquis Viterbien. 55
Veji incertum ubi fuerint tempore Plinii. 95
Velete Civitas Hetruſcorum. 117
Veltrius Thomas Epiſcopus Caſtrenſis laudatus. 128
Veritatis Character. 140
Verorum familia Annia. 49. 89
Verrius Flaccus de Luceribus. 131. 135
Veſentini reſtituti apud Plinium. 95
Verſpergenſis Abbas de Radicofano caſtigatus. 176
Vetulonia ubi. 106. &c.
Vetulonienſes Aquæ ubi. 107
Vetulonia quod etymon habeat. 122
Ugolinus Nicolaus Epiſcopus. 275
Ugozzolinus Jac. Epiſcopus. 273
Via Annia. 8
..... Caſſia, & Aurelia &c. 34
..... Cimiua. 90. 218
..... Clodia, ſeu Caſſia. 209. 183
Vicuanus Epiſcopus Suanenſis. 268
Vicus Horchianus unde dictus. 51
Vicus Matrini le Cappannacce. 248
Vicus Tuſcus Romæ à Tuſcis. 84. 135
Villanellum Monachorum apud S. Leonem IV. 230
Villanus Jo: de Thermis Viterbien. 55
Vina Tuſca. 52
Virbonus Epiſcopus. 264
Virgilius de Curetibus, ſeu Penatibus. 23
..... de Sede Urbis Agyllinæ. 74
..... de Urbibus Coriti. 82
..... de Mantua. 111
..... de Tribu Lucerum. 136
..... de Dardano Italo. 153
..... quas Urbes Etruſcas crediderit. 190
..... Faliſcos contra Etruſcos docte, ac vere deſcribit. 190. 192
..... de Metropoli Etruriæ tentatus. 194
Viri Illuſtres Viterbien. in controverſiam vocati: in Procem.
Vitalianus Epiſcopus Eccleſiæ Tuſcæ non Tuſculanæ. 27. 30. 263
Viterbi decora atque antiquitates in controverſiam adductæ: in Procem.
Viterbum Fanum Volturnæ. 4. 219
..... ad Langobardicam linguam aptatum. 164
..... ante Cæleſtinum III. Urbs cum Epiſcopo. 215. 237. &c.
..... Civitas dictum ante Cæleſtinum III 221. 245
..... in Galliis noſtra Colonia. 169
..... Caſtrum à Leone IV dictum. 230
..... an conjunctum *aeque principaliter* cum Tuſcanello. 239
Vitruvius de Statuis apud Ferentum. 88
..... de Via Campana in Faliſcis. 258
Vituli, & Itali Synonymia. 148
Umbri ab Imbribus diluvii. 152
Umbri plura loca cognomina Etruſcis habent, & cur. 113
Umbria in Hetruria. 3. 35
Umbro Fluvius Umbriæ Veteris. 37

Voces antiquæ apud populares ſervatæ. 166
Volaterra Colonia ex Lege Triumvirali. 93
Volaterrani an Civitatem amiſerint ſub Sulla. 99
Volaterranus Raph. Decretum Deſiderii laudat. 143
.... de Petra Sancta. 174
Volnius Tragœdus Tuſcus de Luceribus. 134
Voltumnæ Caput in Galliis. 169
Volturna cur Vertumnus dictus. 91
Volturnalis Flamen unde dictus. 95
Volturrena, ſeu Volturna unde dicta. 88
Volturrena prope Spoletium. 114
Voluſirena in Antiqua tegula quid ſignet. 88
Volumnius pro Tolumnius. 195
Urbanus Epiſc. in Concilio Romano. 263
Urbanus IV S. Riccardum Epiſc. Ciceſtrenſem Viterbi in SS. numerum refert. 270
Urbes Tuſcæ extra Hetruriam. 24. 25
Urbes apud Poetis ſæpe alia pro alia. 89
Urbes XII Etruriæ quæ fuerint incertum. 187
Urbes quæ Præſides habebant Epiſcopos habuere. 222
Urbes prope Romam Præſides habuere. 207 & ſeq.
Urbium Origo plerumque fabuloſa. 148
Vulcia Urbs in Lapidibus Capitolinis. 32
Urſinus Laurentius de Card. Epiſcopus Tuſcanien. 273
Vulcientes Coſſam Coloniam habuerunt. 192
.... fortaſſe ex XII Urbibus Etruriæ. 192
Vulſinienſis Lacus Tarquinienſis dictus. 33
Vulſinienſes Epiſcopi quando deſierint. 285

FINIS.

290A

	Præcipua Errata	Corrige.
Pag. 6	imaginaria plerunque	imaginario plerunque
.....	hic velle adornare	hic vellet adornare
16	FOEN (*hebr.*	COHEN (*hebr.*
....	ἡ'λιον καὶ τὖς	ἥλιον καὶ σελήνην
17	etymon, in qua	etymon, in quo
19	Rex raphres	Rex Vaphres
28	πολίταυι	πολίται
40	ceterum Mater	ceterarum Mater
42	PRAEF EQUALE	PRAEF AQUILÆ
50	quinvis lingam	quamvis linguam
52	Veſtus Templum	vetus Templum
67	Epithetoin	Epitheton
76	ratio probetur	ratio non probetur
.....	ſit etiam	ſic etiam
85	centeſimi quingenteſimi	centeſimi quinquageſimi
86	de Mitra	de Mithra
.....	Pavo in quam	Pavo, in quem
117	quæſtione XI cum	quæſt. XI. Extant cum
119	LAUROZAVIN	LAUROLAVIN
122	brevitas gratia	brevitatis gratia
123	Virtulatio dicta	Vitulatio dicta
125	libro quinto	libro nono
128	STULTIÆ	STULTITIÆ
137	dita opera	data opera
.....	à noſtra digna	à noſtra lingua
146	*Aluſonia*	*Auſonia*
150	Electram ut Majam	Electram, & Majam
154	Mercuris filii	Mercurii filii
155	Judiciis Principem	Judicii Principem
161	dicebatur Viterbum	dicebatur: Viterbum
.....	*Galiis Palæologorum*	*Galliis*: *Palæologorum*
164	Tuſcaniam ret-	Tuſcaniam reti-
.....	Oppidi	Oppidis
.....	Terboin	Terbon
.....	Patrios	Patrio
169	primus inter Ro.	primas inter Romanos
176	Κεμμένους	*dele*
178	laudi dicimus	laudi ducimus
181	eadem loco	eodem loco
182	à nomine, quem	à nemine, quem
220	πολύχνια	πολίχνια.
229	omnibius	omnibus
234	Incipienrii	Incipienti-
.....	à Mat Magno	à Mari Magno.
235	qui vocatur Arlinus &c. (*hic turbatus eſt ſenſus*)	Sanguinarium, & pergit ad rivum, qui vocatur Arlinus ad Mauſileum, & deinde vadit per lacum ad Mauſileum quod eſt in campo Roſano &c.
251	diſplomata	diplomata
264	ἐκκλσίας τουηςκης	ἐκκλησίας τούσκης.